

05 Lit. Graec. B
2044

502

Rhetor: (



C.F. Hoffmann sculp. Dresd.

Philos. Gr. A. 589

Platonis Epistolæ
à Petro Ramo Eloquentiæ
& Philosophiæ professore Regio Latine facta, &
Dialecticis rerum summis breuiter exposita,
A D
CAROLVM LOTHARINGVM
Cardinalem.

SECVNDA AEDITIO.



PARISIIS,
Ex typographia Matthæi Dauïdis, via amygdalina, ad Veritatis insigne.

1552.

De Loquens


Petrus Episcopus

et Petro Romano Eloquentis

et Philosophiae professoris Regii in

AD CAROLVM M. LOTHEBINGVM
Cardinalem.

SECUNDA EDITIO.



PARISIIS

Typographia A. G. D. de la Cour
de la Cour, et de la Cour de la Cour

3

PLATONIS EPISTO-

læ à Petro Ramo Latinæ fa-

ctæ, & dialecticis rerum summis breuiter expositæ,

A D

CAROLVM LOTHARINGVM
Cardinalem.

Quemadmodum discipuli mei rationem mihi quotidie reddunt: quid profecerint, quàm attentè audierint, quàm studiose edidicerint, quàm accuratè meditati sint: Sic ego tibi, Mecænas, otij mei rationem explicandam & probandam esse arbitror, quid precipiam, quam meis præceptis exercitationem adhibeam: & quidem tanto impensius, quanto tu mihi, Mecænas excellentior es, quàm illis ego sim magister. Itaque post illud tuum in me beneficium (quo mihi mea professionis præstinam libertatem restitisti) vides quæ sint artes, quæ sint exercitationes nostræ. Dialecticas institutiones non solum ex veterum & Philosophorum & Oratorum institutis collectas, sed multò magis ex naturali vsu obseruatas & depromptas, quemadmodum descripserim, cognouisti. Deinde verò, quàm acri studio in omnem huius discipline exercitationem incubuerim, quid vis referam? Duplicem omnino exercenda Dialecticæ viam esse docui: alteram in retexendis & cognoscendis aliorum sententiis, alteram in nostris exprimendis & confirmandis: cum vtroque autem genere, Rhetoricæ dictionis vsum copulandum esse monui. Has igitur dialecticas & rhetoricas meditationes cum assidua prælectiones nostræ, tum imprimis animaduersiones Aristotelicæ amplissimo clarissimoque testimonio declararunt. His enim totum illud Aristoteleæ logicæ tam multis libris confusum organum (quod appellant) sic ad dialecticæ & inuentionis consilium, & dispositionis iudicium ac methodum nõ solum luculenter retexui & explicauit, sed cum naturali & contraria institutione, tam perspicuis, tamque constantibus argumentis comparauit, vt Aristoteleis horribile fuerit tãtas in Aristotelis sui mentem tenebras incidere potuisse: & dialecticæ artis lucem tam multis temporibus occultam fuisse. Eandem rationem Brutinæ quæstiones deinde consecutæ sunt: in quibus Ciceronis & Virtutes, quæ pueris essent imitandæ, sine simulatione laudaui, & Vitia, quæ declinãda viderentur,

A. ij.

sine dissimulatione notavi & reprehendi. Idem in vniuersum Quintilianum feci: nec nobis omnino multos iam per annos in poëtis, in oratoribus, in philosophis exponendis & tractandis dies ferè vllus hac philosophica & oratoria contentione vacuus fuit. Ecce verò proximis diebus cum Platonis epistolas Gracè discipulis meis exponerem, eosque in singulis praelectionibus Latinè reddendis exercerem, idem quoque ipsum praestandum mihi proposui, vt non solum capita rerum suis argumentis explicarem, iudicium notatis syllogismis indicarem, methodum qua esset, ostenderem: sed etiam sermone nostro Platonem ipsum loquentem facerem. In quo siquid erit fidelius expressum, quàm adhuc interpretibus notum fuerit, Iacobo Tusano (cuius in Gracis literis interpretandis, & intelligentia & industria pro merito nunquam satis laudari poterit, quémque, si fas esset, immortalem esse decuerat, vt tam excellenti doctore academia nostra perpetuò fruereetur) & grata & libenti memoria acceptum refero. Eius enim interpretationem ducem habuimus. Quamobrem vides, Mecenas, professionis nostra in docendo, interpretando, refellendo, confirmando, obseruando, scribendo diligentiam: pro cuius nouo argumento has tibi Platonis Latinas epistolas esse volumus, quas tibi non solum tãti philosophi nomine, sed etiam rerum ipsarum dignitate gratissimas fore confido. Summi enim principes regesque sunt Dion, Dionysius, Perdicas, Dionis amici, de quibus hæc loquuntur epistola, totaque ferè disputatio est de optimo statu Reipublicæ, quam tum demum beatam Plato hic existimat futuram, cum reges in ea philosophabuntur, aut philosophi regnabunt, legesque domina erunt hominum, non homines tyrãni legum. Quid sancta illa Platonis monita de amicitia retinenda, de bona fama comparanda, de Theologia reuerenter attingenda, de diuina (qualis ferè sacris literis traditur) trinitate, de animorum immortalitate, de iustitia aeterna, de augusta quadam regia maiestatis specie atque forma, quomodo te afficient? Ego verò hac politica disciplina particula sic incensus sum, vt totam & Aristotelis & Platonis πολιτικὴν hoc dialecticæ & rhetoricæ exercitationis genere persequi cuperem. Faxit Deus Optimus Maximus, vt quàm diutissimè labores istos ferre possim. Statui enim non prius in vlla disciplina parte requiescere, quàm non solum Dialecticam & inuentionis & dispositionis rationem ab Aristotelis tenebris planè vindicaro, sed in ceteras quoque artes eius vsum lucemque deduxero: omninoque tuum de me restituendo iudicium cum verum & iustum, tum Reipublicæ beneficium & salutare fuisse probaui.



5
PLATONIS EPISTO-
læ à Petro Ramo Latinæ fa-
ctæ, & dialecticis rerum summis breuiter expositæ,
A D
CAROLVM LOTHARINGVM
Cardinalem.

Argumentum epistolæ primæ.

Dion princeps Syracusanus (de quo Plutarchus abunde & Plato in his epistolis, septima præsertim) vir bonus fuit, & magistri Platonis philosophiam cum verbis, tum vita & factis æmulatus. Hic impetrauit quondam à Dionysio vt Plato Syracusas accerseretur, qui tametsi tyranno molestissimus propter nouam quandam & tyranno inusitatam libertatem accidisset, in gratia tamen eadem Dion permansit: mortuo etiam Dionysio patre, apud Dionysium filium parem authoritatis locum obtinuit, eumque Platone in Siciliam reuocato, incredibili philosophiæ amore inflammavit: tandem tamen cum rex adolescentulus assentatorum & lenonum illecebris sese dedidisset, eiectus est Dion, & maximis opibus secum translatis, in Graciam abiit. Hac de re est hæc epistola, qua iuuenem regem admonet. Summa in syllogismo isto est,

Periculosum est regibus fideles amicos eiicere:

Dionysius rex Dionem fidelem amicum eiicit:

Periculosum ei itaque fuerit.

Assumptio præcedit, vbi multis officiis Dionis, fides eius approbatur: Propositio sequitur magnificis poetarum testimoniis illustrata. Complexio postremo strictim & breuiter attingitur. Habet itaque hæc epistola insigne documentum, vt Reges amicis fidelibus bene consulant. Nam postea Dionysius regno expulsus est à Dione ipso, & ad eam inopiam redactus, vt Corinthi literas docere, & schola magister esse cogeretur, vt esset tanta fortuna prouerbium, Dionysius Corinthi.

a. iij.

Dion Dionysio bene agere.

Epist. I.



Vanquã diu multũmque vobiscum versatus sum, vestrũq; regnum summa fide & integritate gubernavi, vt inde præ ceteris fructũ caperetis, attamen graues & acerbis calumnias sustinui. Nihil enim (scio) me consentiente crudelius esse factum videbitur. Omnes siquidem, qui mecum Republicam gesserunt, testes appello: quorum plerosque defendi, & periculis non mediocribus liberaui, quin etiam summa rerum potestate præditus, cum saepe ciuitatem vestram seruauissem, vobis tamen relegantibus longè ignominiosius amandatus sum, quàm vel mendicum amandari deceat: iussusque patria excedere, qui tot annos vestris rebus impenderam. Itaque (quod ad me attinet) constitui posthac solitariam vitam, & à Republ. remotam degere. Tu verò tantus tyrannus, solus regnabis: atque illam magnificam pecuniam (quam in profectiõnem dederas) Bacchius (cui hanc epistolam perferendam dedi) tibi refert. Neque enim viaticum idoneum satis erat, nec ad hoc nouum vitæ genus accommodatum, & quidem tibi largienti maximo, nec accipienti mihi, multò minori dedecori futurum. Quare non accepi. Tua autem nihil refert videlicet, tantum vel accipere, vel donare. Quapropter hac pecunia alium quempiam ex amicis ornato, quemadmodum me ornaueras.

Equidè certè abs te satis ornatus sum. ¹ Fuerit verò ¹ *Propositio syllogismi.*
 mihi bonum & commodum Euripidis illud tibi cō
 memorare, Futurum nempe tempus illud, cū tu re-
 bus tuis immutatis, talem virum desiderabis. Atque
 etiam meminisse te velim, quod tragici plerique alij
 (cū interemptum ab aliquo tyrannum inducunt)
 sic exclamantem faciant, O miser, ab amicis inops
 pereo: Auri verò inopia pereuntem, nullus poëta
 finxit. Illud quoque poëma sapientibus probatur.

Non aurum splendidum in misera mortalium
 Vita, neque adamas, neque mensæ argenteæ,
 Neque terræ latè patentes, fertiles,
 Vberes, abundantes fundi (quæ putant
 Pretiosa) tam clara ante oculos enitent,
 Quàm proborum hominū concors sapiētia. Vale,
² & tantū cognosce, quòd nos amiseris, vt erga ² *Cōplexio stri-
 ctim attingitur.*
 alios prudentius te geras.

A R G V M E N T V M

secundæ epistolæ.

Plato post eiectum Dionem, non multum postea cum Dionysio fuit:
 quauis enim Dionysius eum insano quodam amore complexus
 esset, vt regnum ei committeret, ea tantū exceptione, ne plurius Dio-
 nem, quàm se, faceret: attamen Plato multas indignitates in aula
 Dionysii ferre diutius non potuit. Itaque rediit Athenas, & hęc ad
 Dionysium epistolam scripsit, cuius partes duæ sunt. In priore cohör-
 tatur Dionysium ad bonam famam hoc syllogismo:

Viri celebres bonam famam sectari debent:

Dionysius & Plato celebres sunt:

Bonam itaque famam consecutentur.

Consequetur autem, si Philosophiā & Plato verè docuerit, & Diony-
 sius sanctè coluerit. Adhortatio hæc sumitur ex occasione prauæ cuius-

a .iiij.

dam rumoris, quem Dionysius de se per Platonem dissipatum querebatur. In posteriore parte, theologia quadam Platonis in quodam enigmate indicatur, & longa oratione Dionysius monetur de Deo temerè philosophandum non esse, & in ea re reprehenditur. Tandem additur iudicium Platonis de quibusdam Dionysii domesticis, quibus uti vel nō uti debeat. Duo sunt itaque huius epistola capita, Bona fama considerandum esse, de rebus diuinis non esse temerè philosophandum.

Plato Dionysio bene agere.

Epist. 2.

HXistimas (sicut ex Archedemo cognoui) à te non solum mihi, sed necessarius etiam meis abstinendum esse, ne qua tibi vel iniuria, vel contumelia à nobis oriatur: Dionem autē excipis. Atqui hac oratio (qua Dion excipitur) declarat me in meos imperium non habere.¹ Nam si (quemadmodum arbitraris) & ceteris Grecis & tibi & Dioni imperarem, melius (mea quidē sententia) vobis vniuersis, ceterisque Grecis omnibus esset consultum: nunc equidem magnus sum, quia rationi pareo & obtempero. Quae idcirco scribo, ut intelligas Cratistolum & Polyxenum, nihil veri ad te detulisse, quorum alterum aiunt dicere, plerosque meorum familiarium in Olympiis à se auditos, qui tibi conuitia, crimináque obiicerent. Hic fortasse clarius & acutius audit, quàm ego: nihil enim audiui. Postea verò cum de nobis eiusmodi sermo ad te perferetur, sic tibi faciendum censeo, ut me per literas admoneas: vera enim dicere nec grauabor, nec erubescam.² In eo autem statu sunt res nostrae,

¹ Indicat suam culpam non esse, si quid obtrectatum sit. Si imperare omnibus, ista nō dicrentur: At non impero nisi mihi.

² Assumptio est syllogismi, Nos clari & celebres sumus.

vt homini in Gracia nemini (liberè enim & apertè dicam) ignoti simus: nec de nostra necessitudine homines, vel hoc tempore conticescunt, vel imposteriorum (ne tu hoc ignores) vnquã conticescent. Sciunt enim qui nos bene norunt, familiaritatem nostrã nec exiguam, nec dubiã fuisse. Quorsum hac igitur disputo?

³ Dicam verò, & quidem initio paulo altius repetito. Natura comparatũ sic est, vt excellens sapientia potentiãque, ad eandẽ quasi metam contendãt, eãque semper se mutuo comitãtur & vna esse cupiũt: hinc sanè fit, vt homines vulgò de his rebus inter se vel colloquentes, vel alios audientes, vel in priuatis colloctionibus, vel in poëmatis, latẽtur & gaudeãt. Etenim cùm in sermonem de Hierone & Pausania Lacedamonio inciderint, Simonidis cum illis principibus familiaritatẽ, quãque & egerit, & dixerit, iucunde & libèter commemorãt: Periandrũque Corinthiũ, & Thalem Milesium, itẽmque Periclem & Anaxagorã, Cræsum & Solonẽ, ac Cyrum tanquã dynastẽ cum sapientibus celebrare cõsueuerunt: quã etiã imitati poëta, Chreuntem quidẽ & Terefiam, Polyedũque, & Minoẽm, Agamemnonẽ & Nestorem, Vlyssẽm & Palamedem consociant: atque etiam, ni fallor, Prometheum & Iouem primi homines eadem ratione cõiungebant: ex iisque ad mutuam alios quidem discordiam, ad concordiam autem alios, hõsque rursus nunc ad concordiam, nunc ad discordiam spectantes, & partim quidem con-

³ Transit ad propositionẽ, quòd clari viri bonã famam sectari debeant, idque approbat inductione sapientum & potẽtum, qui ad bonam famã coniuncti vixerunt.

4 Colligit sum-
mā inductionis,
& ppositionē sta-
tuit, & viri clari
famae bonae stu-
deant, & rursus
quodā naturae te-
stimonio cōfir-
mat ita cōcluso.

Quae boni & di-
vini viri sentiūt,
sequenda sunt:
Sentiunt autē fa-
mae serviendū es-
se: Hoc igitur se-
quendū. Assum-
ptio praecedit.

5 Consecrarium
ad assumptionē
de animorū im-
mortalitate,
quae rursus epi-
stola septima as-
seritur.

6 Repetit proxi-
mae assumptionis
sententiam.

7 Propositio syl-
logismi quae ad-
iunctis illustra-
tur.

8 Cōcludit prin-
cipē syllogismū:
Itaque bonae fa-
mae serviamus, &
exornat adian-
ctis, & ea recte sa-
ctorum comes
& socia sit.

9 Accedit ad se-
cundum locū, &
Plato & Diony-
sius bonā famā
consequentur, si
philosophiam il-
le verē docuerit,
& hic sanctē co-
luerit. Interponi-
tur autē quaedā
locuis obiurgatio.

cordes, partim verò discordes, canunt. ⁴ Quae qui-
dem omnia idcirco recenseo, ut doceam etiam post
mortem nominis nostri famam in obscuro futuram
non esse. Eius itaque nobis est habenda ratio, & fu-
turis illis temporibus inserviendum. ⁵ Etenim natura
quadam fit, ut nequissimus quisque nihil aut cogi-
tet, aut curet: contra verò optimus quisque & ho-
nestissimus omnia suscipiat & subeat, ut bonam a-
pud posteros famam consequatur. Quo argumento
etiam moveor, ut credam earum rerum (quae in hac
vita geruntur) aliquem in morte sensum esse. ⁶ Opti-
morum enim virorum animi, hac ita esse presentiūt,
secus autem improbiſsimorum. ⁷ Atque maioris fi-
dei praestantium & diuinorum virorum praesensio-
nes, quàm ignavorum & inertium putanda sunt.
Equidem sic existimo, si priscis illis & veteribus (de
quibus loquor) superioris vitae mores emendare lice-
ret, magnum studium, magnamque operā in eo po-
situros, ut melius de ipsis, quàm nunc fiat, & hone-
stius posteritas loqueretur. ⁸ Hoc verò nobis adhuc,
Dei gratia, conceditur, ut siquid in anteaeta vita
non recte commissum sit, re ipsa atque verbis cor-
rigatur. ⁹ Confirmo autē (quod ad philosophiā at-
tinet) id verum fore, ut si bene vixerimus, bona: sin
male, mala de nobis hominum opinio futura sit. At-
qui neque sanctius omnino quicquam agere possu-
mus, quàm ut illud spectemus, & propositum sem-
per habeamus, neque contra magis nefarium, quàm

vt negligamus, & pro nihilo habeamus. Quemadmodum autē id fieri conueniat, vtque quod iustum est, sese habeat, exponam. Cū inter philosophos magna cuiusdam excellentiæ nomen obtinerem, in Siciliam ea causa veni, vt Syracusis te præstantiæ meæ testem & velut astipulatorem haberem, philosophiamque etiam apud simplices & imperitos honorarem. Quod quanquam mihi prosperè non euenit, causam tamen eam esse non arbitror, quam plerique existimarent, sed potius quòd mihi non magnā fidem adiungeres, & velut diffidens à te amandares, aliosque accerferes, ac quæreres quod officij mei munus esset. Ita tibi videlicet probatus eram: atque de his ita plerique dictitabant, nos à te cōtemptos esse, animūque tuum aliis rebus esse captum. Hæc enim iactabantur. Quid verò faciendum tibi sit, audi, vt ad id etiam, quod interrogas, quales inter nos esse debeamus, tibi respondeam. Siquidem philosophiam omnino contemnis, valere scilicet eam sinamus: sin autem meliora, vel ab alio didicisti, vel per teipsum inuenisti, quàm à nobis doceantur, hæc amplectere. Quòd si sanè nostra tibi doctrina probatur, me quoque colere debes & obseruare. Ac nunc itaque velut initio res agatur, viam præito, ego siquidem sequar. ¹⁰ Nam si abs te cultus & obseruatus fuerit, te quoque meritò colam & obseruabo: spretus autem & contemptus, conquiescam. Quinetiam si tu mutui huius honoris dux & author eris, philoso-

¹⁰ Disputat magistro priorē honorē à discipulo deberi. argumentum ex adiunctis est.

phia honorem tribuere videberis, eaque res gloriam
11 Concludit hoc morale præceptum de mutuo præceptoris & discipuli amore. (quam alioqui per te ipsum spectares) apud populum tibi tanquam sapientiæ studioso & amanti comparabit. At si te (à quo nullo honore afficerer) honorem, diuitias admirari & sectari existimarer, quod ab omnibus turpe & inhonestum iudicatur. ¹¹ Quare (vt breuiter absoluam) cum tu me colueris, vtriusque nostrum decus: cum autem ego te coluero, dedecus futurum putato. de his igitur hætenus. ¹² Orbiculus autem ille non recte habet, quod Archedemus (cum istuc redierit) tibi planius explicabit. ¹³ Verum enim uero potius est id accuratè diligenterque disputandum, quod longè præstantius est atque diuinius, cuiusque gratia (cum anxius hic & dubius esses) Archedemum miseras. Ais enim (sicut ex eo cognoui) summi illius & primi naturam non satis tibi declaratam & expositam esse: definienda itaque, sed tenui & obscura duntaxat indicatione, vt si fortè vel mari vel terra epistola perierit, aut intercepta in manus hominum deuenit, ab eo qui legerit, non intelligatur. Res autem eiusmodi est. Apud summum rerum omnium regem omnia sunt, illiusque gratia sunt omnia, ab eoque bona omnia profecta sunt: apud secundum autem sunt secunda: apud tertium, tertia. ¹⁴ Quæ cuiusmodi sint, humanus animus intelligens autem (penes quam rerum sapientia, consiliūque subesset) principatus esset à rege proximus, tum anima mundi, quæ rerū ortus & interitus per regem mentis sapientia definitos exequeretur, vt ferè sunt in magnis monarchiis imperator, senatus: & qui exequatur madata imperatoris senatus consulto firmata, magistratus. Idè ferè locus est postea sexta epistola. ¹⁴ Concludit syllogismo immensam illam Dei naturam humano ingenio comprehendere non posse. In Dei natura nihil est humane cognatum: Quicquid autem intelligit animus, eiusmodi est: Animus igitur non intelligit Dei naturam. Deinde reprehendit Dionysium hic temerè philosophantem. Eadem disputatio est post epist. 7.

11 Concludit hoc morale præceptum de mutuo præceptoris & discipuli amore.

12 Dionysius ab eūtem Platone orauit, vt Dionem de ipsius uxore alteri colloca da latèter interrogaret, quod Dion grauiter tulit. Hoc videtur Plutarchus dicere isto loco à Platone obscure indicari Quod idè epistola vltima clari est.

13 Accedit ad secundam partem epistolæ, & theologiam quandam strictim attingit. Hic mysterium trinitatis inuolutum quoddam videtur de patre, filio, spiritu sancto, quod aliis non solum aliis nominibus Deum mentem, animam mundi appellauit, sed etiam gradibus quibusdam distinxit Plato, vt Deus rex quidam summus esset infinita potentia:

re desiderat, sed ad ea respiciens, quæ sunt ipsius naturæ cognata atque finitima, quorum nihil est stabile atque firmum, nec in rege atque iis (de quibus dixi) simile & consentaneum. Quòd autem diuinis illis, & æternis naturis inferius posteriùsque est, id in animi nostri cognitionē perceptionēque cadit.

Attamen ò Dionysii Doridisque fili, qualisnam est ista percunctatio, & quæ est malorum omnium caussa & origo, vel animo potius insita & ingenerata quæstionis huius cupiditas & libido? ¹⁵ quam nisi ex animo funditus euellas, veritatem profectò nunquam assequere: tu tamen ipse (cùm in horto sub lauris essemus) id te excogitasse, & inuentum esse tuum prædicasti: tùmque ego, inquam, si hoc tibi sic esse videatur, magna me & graui disquisitione liberasti. At nemo adhuc est assequutus vt hoc inueniret de quo mihi magna sollicitudo fuit: tu verò cùm fortasse quempiam audiueris, diuino aliquo instinctu huc incidisti, deinde cùm firmas rei demonstrationes adeptus tibi videreris, non firmè & constanter tenuisti, sed falsa visione & specie inductus, huc & illuc profilisti: In diuinis autem nihil est tale.

¹⁶ Atque id ne tibi soli videatur accidisse, certò scias neminē (qui de maximi illius & primi regis natura audiuerit) inirio aliter, atque nūc es, affectū fuisse: sed alium vehemētius, remissius alium, conflictatum vix tandem difficultate liberatos esse, omnino autem neminem parum laborasse. Quæ cùm ita sint, propemo-

¹⁵ Siquis nō reprimat Theologia temerariam cupiditatem, verum non assequatur: At illud tibi contigit: Quare & hoc.

¹⁶ Docet lentum & modestum studium Theologia esse oportere, quæ doctrina fere est de repu. circa finem.

dum quidem spero nos inuenisse (quod epistola petebas) quemadmodum nos inter nos gerere debeamus.

¹⁷ Monet rursus Dionysium, ut accuratè disquirat, antequam iudicet.

¹⁷ Nam si & aliorum consiliis adiutus sis, & nostra instituta compares, & rerum ipsarum pondera per se diligenter examines, tandem si vera examinatio tua sit, quod vis, assequere, illòsque & nos familiarissimos & notissimos habebis. An non igitur hæc omnia quæ diximus, ita se habebunt? Quòd Archedemum remiseras, rectè etiam facis: ac posteaquam ad te redierit, deque nobis audita renuntiauerit, in alias forsitan quæstiones incidet. Quare rursus (si rectè statueris) ad me mittes, ut ad te velut mercator reuertatur. Hoc autem si sæpius egeris, & ea quæ mandauero, iterum atque iterum probaueris & expendaris, per mihi mirum fuerit, nisi quæ tibi antea difficilia atque obscura fuerant, nunc facilia perspicuaque videantur. Quare audacter & liberè hæc agite. Hac enim mercatura nullam unquam nec tu institueris, nec ille fecerit honestiorem, aut Deo gratiorem. ¹⁸ Quanquam id tibi precauendum & prouidendum censeo, ne res istæ exeant, & in manus imperitorum incidant. Nihil enim est (ut equidem ipse censeo) quod vel à simplici multitudine magis irrideatur, aut quod ingeniosis magis admirabile, magisque diuinitatis plenum esse videatur. Ea verò frequenter agitata, multòsque per annos assiduè audita vix tandem multo labore, velut aurum expurgantur & enitescunt. Quod au-

¹⁸ Monet ne ista mysteria diuulgentur. Argumentum ex adiunctis est, quia sint imperitis ridicula, peritis obscura.

tem mirum hîc accidit, animaduerte. Plerique sunt homines in hisce rebus diuinis versati, quanuis & ingenio ad discendum prompti & parati, & memoria constantes & firmi, & omnibus modis iudicio prudentes & acuti, senes iam, nec pauciores annos, quàm triginta hîc immorati, qui tamen nunc nuper sibi accidisse aiunt, vt quæ olim planè incredibilia sibi visa essent, nunc verissima & clarissima videantur: quæ autem olim verissima, nunc contrâ.¹⁹ Quãobrem his rebus ante oculos positis, ca- uere debebis, ne vnquam te pœniteat eorum, quæ tibi temerè exciderint. Certissima autem cautio est, nihil scribere, sed addiscere: neque enim fieri potest, quin scripta in vulgus emanent. Quæ caussa mihi fuit nihil his de rebus scribendi: neque sanè extat vlla Platonis litera, nec extrahit. Quæ autem nunc feruntur, Socratis sunt, qui etiam dum adolescentulus esset, virtute insignis fuit. Vale, & hæc ita esse confide: epistolamque hanc simulatque diligenter lectitaris, combure. Sed hæc quidem satis.

²⁰ Quod Polyxenum tibi non remisserim, miratus es. Ego verò etiam de Lycophrone, & de cæteris qui sunt apud te, quod iam pridem dixi, idem etiam nunc dico, te nempe in differendo illis omnibus non solum natura & ingenio, sed doctrina & artificio longissimè præstare, nec eorum quenquam sponte (vt quidam arbitrantur) sed omnes inuitos refelli & conuinci: ac tamen videris illis & humaniter vsus

¹⁹ Cõcludit provisionis huius & cautionis admonitionem, qualis est epistola 7.

²⁰ Addit ad epistolam iudicium suum de quibusdam Dionysii domesticis, quorum alios improbat, cõmendat alios.

Et liberaliter largitus. Atque hæc de talibus nimium fortasse multa. Philistione autem (si quidem vteris) familiarissimè vti potes: ac, si licet, Speusippo etiam vtere & remitte. Indiget autem tui Speusippus. Pollicitus est mihi Philistion (si tu ipsum dimiseris) se celeriter Athenas venturum. Itaque si è latumiis emiseric, rectè feceris. Leue autem est quod de seruis ipsius, & de Hegesippo Aristonis filio rogare te velim. Scripsisti enim ad me, si quis vel hunc, vel illos offenderet, idque ad aures tuas perueniret, te minimè permissurum: ac de Lysiclide dissimulandum non est. Solus enim ex iis, qui è Sicilia Athenas profecti sunt, nihil de nostra necessitudine commutauit, sed si quid boni in rebus nostris fuit, laudare & amplificare non desinit.

A R G V M E N T V M

tertix epistolæ.

Respondet initio huius epistolæ de genere salutationis, deinde facta diuisione duarum calumniarum (quibus à Dionysio affiebat) singulatim vtramque refellit. Docet in epistolâ præscriptione verbum ἐνπελάειν melius, quàm χαίρειν adhiberi. Argumentum ex adiunctis est. Præcipua verò sententiæ hîc sunt, Non accedendū sapienti ad Remp. in qua consilio locus non est. Item, Amicis succurrendū.

Eidem.

Epist. 3.

SI in epistolis hoc genere salutationis vtor, ἢ γὰρ Διονυσίω χαίρειν, an verissimâ salutationem sequar? an potius pro mea consuetudine si præscribam ἐνπελάειν, quemadmodum in lieris amicos salutare consueui? Etenim etiâ

Deum ipsum (sicuti retulerunt qui tum oraculum petebant) Delphis hoc ipso verbo scilicet assentatus appellasti: atque (vt aiunt) hoc egregium carmen inscripsisti,

Sis lætus, lætùmque velis seruare tyrannum.

Ego verò non modò Deum, sed ne hominem quidẽ hoc modo salutarim: Deum quidem, quòd cõtra naturam eius facerem. Deus enim longè ab omni voluptatis abest ac doloris sensu: hominem verò, quòd ei plerunque voluptas damnum ac molestiã pariat: tarditatem siquidem mentis & obliuionem & stultitiam & insolentiam parit.¹ Atque hæc sic à me de salutatione dicta sint. Tu verò cùm legeris, quam in partem voles, accipe.² Plerique autem te quibusdam apud te legatis præsentibus dicere solitũ aiunt, quod cùm aliquãdo me audiente prædicares tibi certum & statutum esse, Græcas vrbes in Sicilia restituere, & Syracusanos principatu tyrannico in regium mutato, subleuare, quanuis id maximè cuperes, te tamen id ne faceres, à me tum esse prohibitũ: nunc autẽ Dionem ad hæc ipsa perficienda instrua, tẽque tuis artibus de principatu deiiciam. At tu si quid ex his sermonibus emolumentum capias, ipse nosti: contumelia sanè me afficis, cùm veris ac gestis rebus contraria loquar. Satis verò superque & à

³ Philistide & plerisque aliis apud milites & Syracusianam plebem calumnie sustinui, & quòd in arce tecum manerem, & quòd ij, qui extrã erant,

b. i.

¹ Concludit responsionẽ de genere salutationis.

² Proponit calumnias, quibus ledebatur à Dionysio.

³ Intermisceet alias quasdam calumnias.

si quid offensum peccatumve esset, id totum in me vnum deriuarent, velut omnia meo consilio faceres.

4 Respondet summam his calumniis ex testimonio & adiunctis.

5 Facit diuisionem harum calumniarum, ut postea singulis accuratius respondat.

6 Respondet de gubernatione reipublica, primum quod non debuerit attingere: argumentum ex causis adiunctibus ita concluditur: Non est capessenda respublica in qua princeps sapiens eiiciat, improbis obsequatur: Talis Dionysii reipublica fuit: Non fuit igitur capessenda. Assumptio praecedat.

4 Tu autem optimè nosti, me de republica, sponte per pauca tecum initio comunicasse, quando me quod operae pretium esset, facturum arbitrabar: & alia quaedam de legum praemiis modicè & modestè curauisse: praeter quæ tu alia ascripsisti, vel alius quispiam. Intelligo enim vestrum quosdam insidiosè res eiusmodi machinari. 5 Veruntamen vtrumque clarum & perspicuum erit his, qui de meis moribus iudicare poterunt: tametsi, ut modò dixi, nil mihi opus est calumnia vel apud Syracusanos, vel hos omnino, quibus ista persuaseris: imò verò defensione potius vtendum est aduersus calumniam, & illam priorem, & hanc praesentem superiore quidem illa longè grauiorem & acriorem. Itaque aduersus duas criminationes duabus me defensionibus niti necesse est: primum quidem me tecum de republica meritò comunicare noluisse: deinde neque meum consilium (quod ais) fuisse: neque me tibi Græcas vrbes restituere cupienti restitisse. Initio itaque eorum, de quibus dixi, primum primo loco percipe. 6 Syracusas & tuo, & Dionis rogatu accersitūque veni: Dionis quidem tum mihi spectati & probati, tum veteris hospitis, atatisque iam planè confirmatae & constantis: quæ vel tantummodo non stulti necessaria sibi esse ad res tantas (quanta res tum fuerant tua) gerendas intelligerent: tuo verò, cum admodum iu-

uenis esses, & earum rerum valde ignarus & imperitus, quarum te intelligentem & peritū esse conueniret, ac mihi prorsus ignotus esses. Postea siue homo, siue Deus, siue fortuna quædam tecum, Dionem expulit, solūsq; es relictus. Quid igitur? ⁷ An existimas esse mihi tecum vllam reipublicæ gerendæ societatem potuisse, cūm sapientem socium perdidissem: stultum autem viderem cum multis flagitiosis hominibus relictum, non imperantem, sed imperare se existimantem, cūm re vera tamē impuris illis & flagitiosis seruiret? ⁸ Quo tempore quid me facere decuit? nōne quod agebam, cæterum necesse fuit, rem quidem publicam missam facere, vt inuidiæ calumnias effugerem? vos autem quauis alienatos & discordes, omni tamen studio recolligere & reconciliare? Harum sanè rerum etiam mihi testis fueris, quàm vehementer id contenderim, quàmque ista cōtentione nunquam destiterim: ac vix quidem tam etsi aliquando, inter nos constitit vt domum nauigarem, quoniam bello essetis impediti: pace autem subinde facta, vna cūm Dione Syracusas ad tuum mandatum venirem. Atque hæc sic acta sunt, cūm Syracusas primūm profectus sum, cūmque illinc in patriam redij. Postea verò constituta pace me aduocasti (non sicuti erat institutum, vna cūm Dione) sed vt solus accederem per epistolam mādasti: Dionem autem affirmabas te deinceps accersiturum. Itaque non veni: ac Dioni etiam molestus idcirco

b. ij.

⁷ Sentētia pro-
positionis, qua-
lis est 7. epistola
de sapientis of-
ficio in reipublica.

⁸ Complexio vix
de transit ad se-
cundam ratio-
nē, quod omni-
no publica nō at-
tigerit, quod ad
iunctis illustra-
tur, & rei gestæ
historia, in qua
ostēdit se coactū
in Siciliam ve-
nisse: quod idem
septima epistola
lati⁹ exponitur.

& offensus fui: Commodius enim putabat esse, ut
 accederem, tibi que parerem. Atque anno post ex-
 acto, à te & triremis & epistola venerunt: eorum
 autem quæ epistolis mandabantur, caput fuit, Si ve-
 nirem, Dionis res omnes ex animi mei sententia fo-
 re: si non venirem, contrà. Pudet verò referre quot
 epistola & à te & ab aliis ex Italia & Sicilia, &
 ad quàm multos necessariorum & amicorum meorum
 missæ sint, quæ uniuersæ ad hoc iter suscipiendum hor-
 tarentur & orarent, ut tibi morem gererem. Om-
 nium sanè ac præcipuè Dionis sententia fuit, mihi
 nauigandum esse: nec inertimollique otio torpescen-
 dum: quanuis ipsis atatem prætexebam ac prætende-
 bam: atque de te constanter affirmabam, futurum
 non esse, ut obrectatoribus & inimicitarum caus-
 sas querentibus obsisteres.⁹ Perspiciebam enim
 tum quoque quod etiam hoc tempore perspicio, red-
 undantibus & immodicis opibus & priuatorum, &
 in magistratu degentium, quanto copiosiores hæ fu-
 erint, tanto ferè plures & acerbiores, & qui calum-
 nientur, & qui ad voluptatem cum turpi fædòque
 detrimento loquantur, educari. Quo malo nullum
 exitiosius alit opulentia, aut alia licentia cuiusuis
 facultas.¹⁰ His tamen omnibus posthabitis accessi,
 existimans nemini amicorum meorum sermonis de me aut
 querelæ locum relinquendum, tanquàm per inertiam
 & ignauiam meam fortunæ eius (quæ seruari alio-
 qui possent) perussent.¹¹ Quare cum venissem (no-

6 Addit super-
 rioribus aliud
 argumentum nõ
 veniendi ex ad-
 iunctis personæ.

10 Propositio ge-
 neralis, Amicus
 succurrendum esse,
 cuius assumptio
 præcessit.

11 Describit ge-
 neratim quæ
 Dionysio consu-
 luerit, ac primùm
 de recõciliatio-
 ne gratia.

sti enim sanè omnia quæ acciderunt) æquum esse
 censebam, vt quemadmodum epistolis tuis promi-
 seras & receperas, Dionem in pristinam gratiam
 reciperes & reuocares, ad eamque rem necessi-
 tudinem superiorem memorabam. Qua in re si me
 audiisses, melius quàm nunc (vt equidem sentio)
 & tibi, & Syracusanis, & cæteris omnibus Græ-
 cis prouisum esset atque consultum. Deinde te mo-
 nui, vt bona Dionis ab eius necessariis possiderentur,
 neque per hos diuisores (quos nosti) diuiderentur:
 præterea suasi vt reditus Dioni quotannis mitti so-
 litus mea præsentia nil minueretur, sed potius auge-
 retur. ¹² Quorum omnium cum nihil impetrarem,
 discedere statui: me tamen tuis verbis annum postea
 integrum retinuisti, quòd affirmares venditis Dio-
 nis bonis alteram te partem Corinthum ad eum esse
 missurum, alteram filio eius relicturum. Per multa
 eiusmodi commemorare cum liceat, quorum nihil
 quanuis pollicitus, præstiteris, quia sexcæta propemo-
 dum sunt, prætereo. Facultates autem Dionis con-
 tra voluntatem eius auctonatus, quanuis negasses,
 nisi de sententia ipsius te esse facturum, gloriosissi-
 mum ô vir mirifice, tuis omnibus promissis Colopho-
 nem addidisti: ¹³ artem siquidem neque honestam,
 neque festiuam, neque iustam, neque cõmodam re-
 peristi, qua me velut ignarum rerum (quæ tum ge-
 rerentur) deterreret, ne Dioni fortunas suas reddend-
 as procurarem. Equidem cum Heraclidem expu-
 b. iij.

¹² Indicat Dionysii fraudem, & nihil præstaret ex promissis.

¹³ Causa quam sibi prætexuit Dionysius ad expellendum Platonem.

listi (quod neque Syracusanis, neque mihi iustum videbatur) quoniam cum Theodote & Euribio te deprecatus sum, ne faceres tanquam legitimam causam nactus esses, dixisti iam pridem tibi cognitum & perspectum esse, quàm nihil res tuas curarem, sed Dionis tantum & Dionis amicorum rationem ha-

14 Cōcludit prima calūnia refutationē de gubernatione publica, & factum suū probat adiunctorum argumento.

berem: ¹⁴ utque (cum Theodoti & Heraclidi Dionis amicitia calumnia loco criminis que obuceretur) nervos omnes intenderim ne supplicio afficerentur.

Atque hæc nostræ in republica communicationis consilia fuerunt: ac si quam dissensionem aliam noris, meritò putes hæc omnia sic euenisse: ne mireris. Enimvero rem diligentius & accuratius aestimanti improbus sanè videar, si magnitudine potentie tue commotus, veterem amicum & hospitem tua culpa minus secundis rebus utentem, te verò nulla re (ut ita dicam) deteriore, si hunc inquam prodidissim, teque iniurie huius authorem sequutus essem, omniaque sicut imperasses, sic opibus tuis videlicet illectus fecissem? Neque enim quisquam aliam commutati animi mei causam suspicari potuisset, si tum à sententia mea decessissem. ¹⁵ Atque hæc ita simultatem, alienationemque nostram pepererunt. Superiori autem orationi continua succedit oratio, de qua mihi secundo loco dicendum esse proposueram. Itaque considera, & diligenter attende, nunquid mentiri tibi, ac non vera dicere videar. Confirmo enim te in horto, presentibus Archedemo & Aristocri-

15 Transitio ad secundam calumnam de urbis restituendis, & abolenda tyrannide. Refutatio est ex sermonibus quibusdam Dionysii & Platonis.

tentia mea decessissem. ¹⁵ Atque hæc ita simultatem, alienationemque nostram pepererunt. Superiori autem orationi continua succedit oratio, de qua mihi secundo loco dicendum esse proposueram. Itaque considera, & diligenter attende, nunquid mentiri tibi, ac non vera dicere videar. Confirmo enim te in horto, presentibus Archedemo & Aristocri-

to viginti propè diebus ante meam Syracusis in patriam reditum, eadē mihi quæ nunc ais, exprobrasse, quod & Heraclidis, aliorumque omnium maiorem, quàm tui curam haberem: coràmque iis me percunctatus es, nunquid meminissem aduentus mei initio me tibi suasisse, vt Græcas ciuitates restitueres. Ego verò meminisse respondi, quin hæc etiam mihi tum optima videri affirmavi. Dicendum enim est, ô Dionysi, quod tum subinde dictum est. Etenim te rogavi, vtrum id ipsum tibi tantum consulissem, an aliud etiã præterea. Tu verò sanè quidē iracundè, & mihi, vt putabas, contumeliose respondisti. At ista contumelia reuera tanquam inanis instar somnij euauit. Interrogasti autē me, apertissimè deridens, an meminissem ea te mihi tanquã docto homini præcepisse, vt facerem, aut non facerem: tum, inquam, hæc tu optimè meministi, quippe qui in¹⁶ Geometria eruditum, aut modo nescio quo prædicasti: ac postea quod respondere potui, reticui, veritus ne paucorum verborum caussa reditum (quem sperabam) ex lato & patenti angustū mihi facerem. Quorsum igitur hæc omnia? ¹⁷ Nempe vt ab his calumniis abstineas, quasi te Græcas vrbes à Barbaris dirutas restituere, & tyrannide in regnum conuersa, Syracusanos subleuare prohibuerim. Nihil enim de me potes mentiri, quod à moribus meis sit alienius. Præterea verò clariora iis ad refutandū argumenta proferrem, si qua hac de re disceptatio posset idonea

b. iij.

¹⁶ Vide de hoc Geometria studio Plutarchum in Dione.

¹⁷ Colligit sermonis huius vniuersi summam.

18 Cōcludit epi-
stolā dilemāte.

videri: quod hæc & ego suaferim, & tu facere no-
lueris. Neque magnum est palàm facere, commo-
dissima hæc futura fuisse & tibi, & Syracusanis, &
Siculis omnibus. Attamen ô amice, ¹⁸ si negas te
dixisse, quæ dixeris, excusationem tuam libenter ac-
cipio. Sin autē confiteris, postea ratus sapientē Stesi-
corum fuisse, palinodiam eius imitatus falsam &
mendacem orationem cum certa & vera cōmutato.

ARGUMENTVM

epistolæ quartæ.

HÆC epistola scribitur post susceptam Dionis expeditionem ad-
uersus Dionysium. Cohortatur autē Dionem ad bene gerendam
republicam. Summa sic est,

Principes in summo imperio locati Virtutem, & Virtute claros
principes sectari debent:

Dion est in summo imperij loco:

Sectetur igitur Virtutem, & Virtute claros principes.

Propositio nō exponitur. Initio autem magistri Platonis exemplum di-
scipulo Dioni proponitur:

Viri boni referunt omnia ad veram officij laudem:

Plato in amicitia Dionis id semper egit.

Plato Dioni Syracufano
bene agere.

Epist. 4.

Spero tibi omnibus tuis in rebus atq; tem-
poribus cognitā & perspectā beneuolen-
tiā & voluntatē nostrā esse, quātūmque
laboris atq; operæ in his adhibuerim, vt perficerētur,
non alia re magis inductus, quàm officij & honestatis
cōtentione atq; laude. Iustū enim & ab omnibus pro-
pè concessum esse arbitror, vt viri verè liberales & hu-

mani, nihilq; nisi officium sequuti, debitā virtuti & meritā gloriam consequātur.¹ Atque hætenus (superis gratia) res percōmodè cecidit: imposteriorum verò magnū & graue certamē propositū nobis est. Etenim fortitudine, velocitate, robore præstare plerique alij fortassis etiā queant: veritate autē & iustitia, & magnificentia, & decora quadā reliquarum omniū virtutum specie atque gratia qui præstēt laudis & virtutis amore capti, iure meritoque cæteris hominibus anteponantur. Sed hæc perspicua ac manifestā sunt. Meminerimus verò nos decere cæteris viris excellentiores esse, quàm vel pueris excellamus. Quod vtique per te ipsum etiā intelligis. Itaque de nobis apud omnes constare debet tales nos esse, quales nēpe videri atque haberi velimus: maximè cū (superis bene iuantibus) id facile nobis sit futurū.² Etenim cæteris omnibus ferè accidit, vt nominis & famæ consequēda gratia regiones variæ peragrandæ & obeundæ sint. At rerū tuarum status eiusmodi est, vt toto terrarū orbe (& si quid etiā magnificentius dici possit) vnum in locū, & quidem ad te spectandū omnium mortaliū oculi mentēsque cōuertantur. Quæ cū ita sint, contendere debes & elaborare, vt illum veterem Lycurgum referas & exprimas, itēque Cyrum & quēuis alium, qui vita & moribus, & reipublicæ regendæ sapientia floruerit.³ Quandoquidem plerique, ac ferè omnes (qui istic agunt) magnam prorsus hominum opinionem esse dictitent, afflictō & euerso

¹ Cohortatur de inceptis Dionē ad similitudinem laudis officij, primum ex dissimilibus & maioribus.

² Argumentum ex aliis dissimilibus, quibus addit exempla eorum principum.

³ Addit contrarij rumoris testimonium, quo magis incendat.

Dionysii imperio res propter & tuam & Heraclidis, & Theodoti, & ceterorum nobilium ambitionem & cupiditatem esse perituras: qualis faxint dii, ne quisquam existat: si autem extiterit, partes fuerint tuae, malis eiusmodi mederi: ac potius optandum est, ut omnes bonum & rectum communi mente at-

⁴ Correctio quaedam adhortationis quae similitudine tractatur syllogismo conclusa.

⁵ Assumptio complexionis coniuncta.

⁶ Admonet Dionem ut de rebus suis scribat, & magis affabile se praebeat.

⁷ Vide de nimia austeritate Dionis Plutarchum.

que consilio spectetis. ⁴ At ridiculum fortasse videbitur haec à me ita praecipere, quae notissima tibi sint. Veruntamen in theatris & spectaculis athletas videmus à pueris etiam plausu & clamore acui, nedum ab amicis incitari, qui studio & benevolentia cohortari videantur. ⁵ Nunc autem vos ipsi tanquam in publico spectaculo decertatis: ac si quid vobis opus fuerit, perscribite. Res nostrae sunt eodem in statu, in quo cum aderatis fuerant. ⁶ Scribite verò & quid à vobis adhuc actum sit, & quid nunc agatur. Nam tametsi multa ad aures nostras perferuntur, certum tamen nihil scimus. Atque epistola quidem & à Theodote & Heraclide Lacedaemona & in Aeginam mittuntur. Nos autem (ut dixi) quanuis audimus varios sermones, certi tamen nihil tenemus. ⁷ Memento verò te quibusdam minus, quam deceat, in sermone benignum & affabilem videri. Itaque ne te lateat hominum charitate & benevolentia rerum gerendarum facultatem maximè contineri: Austeritatem autem solitudinis sociam esse & comitem. Fælix esto.

EPISTOLÆ.
ARGUMENTVM
epistolæ quintæ.

27

Commēdat Dion hac epistola Perdiccæ tum adolescentulo Macedoniæ regi Euphream Platonicum condiscipulum suum. Syllogismi summa est, ex septima deinceps epistola, vbi disputatur beatas esse respublicas, in quibus aut philosophi regnant, aut reges philosophantur. Sic autem est,

Stabiles sunt respublicæ, quæ sapientes rectores nactæ sunt:

Sapiens verò est Euphream in Macedonia:

Stabilis igitur erit, si eo utatur.

Assumptio præcedit.

Dion Perdiccæ bene agere.

Euphreo suasi, sicuti mandaras, vt rerum tuarum curâ susciperet, eâsque diligenter & studiose curaret. Decet enim me hospitale & sacrum (quod dicitur) consilium tibi præstare, tum cæteris in rebus omnibus, tum sanè quomodo Euphreo vti cõueniat. Vir enim est, non solum ad alia permulta tibi cõmodus, quo tibi imprimis opus est, sed etiã propter infirmitatē ætatis tuæ, & in qua non multi iuuenibus idonei consiliarij reperiantur, pernecessarius. ¹ Enimuero singulis publicis in rebus velut animantibus sua quædam ^{Propositio quæ similitudine animalium illustratur.} & propria vox est, alia democratia, oligarchia alia, alia monarchia: quas nosse plerique se existimant, sed certè longissimè ab his intelligendis absunt, nisi fortè admodum pauci. De rebus itaque publicis, quæ erga & deos & homines ² vocem ^{Per voces leges intellige proprias singulari rerum publicarum, vel potius rectores earum, qui leges viuæ sunt.} suã & voci cõsentaneas actiones habet, ea sanè salua & incolumis in perpetuum florebit: quæ autem fal

sam & alienam imitabitur, labetur & corruet.

³ Repetitur as-
sumptio.

³ Maximè igitur ad eã rem opportunus Euphrens, quanuis ad alia quoque strenuus & industrius, acciderit. Regendæ enim monarchiæ scientiam non minorem in eo futuram confirmo, quàm sit in vlllo fa-

⁴ Complexio est
syllogismi.

miliarium & domesticorum tuorum. ⁴ Atque his in rebus consilium eius sequutus, fructus maximos

⁵ Occupat obie-
ctionem contra
Platonem, &
causam reddit
quamobrem ad
republicã non
accesserit. Hic
locus citatur à
Cicerone in ma-
xima epistola
ad Lentulum.

⁶ Vide peregrina-
tionem Plato-
nis epistola 7.

& ipse percipies, & illi quoque afferes. ⁵ Ac si quis his auditis fortè dixerit, Plato, vt videtur, profite-
tur se tenere democratiæ gubernandæ scientiam. ve-
rùm cum ei licuerit populi causas agere, & de re-
bus optimis sententiam dicere, nunquam vllum de
republica verbum fecit. Ad ea respondebo Plato-
nem ⁶ serò in patriã rediisse, & populum Atheniẽ-
sem propè iam senectute desipientem reperiisse, &
ab iis qui antea rempublicam tenuerant, moribus iis
imbutum, qui à Platonis instituto vehementer ab-
horrerent. Populo enim Atheniensi tanquã patri li-
bentissimè consulisset, si quid se profuturum, non
id omnino temerè conaturum sperasset. Quod idem
sanè de me facturum fuisse arbitror. Nam si nos
insanabiles offendisset, missos nos faciens, neque
mei, neque mearum rerum curam rationemve vl-
lam habuisset.

A R G V M E N T V M

sextæ epistolæ.

Cohortatur hac epistola tres principes ad amicitia, quorum Her-
mias opibus & humana prudentia, Erastus & Coriscus, qui Pla-
tonem diu audiuerant, recõdita philosophia prestarent. Itaque poten-

tiam illius cum horum doctrina, & horum vicissim doctrinam & fidem cum illius potentia coniungendam monet. Totum argumētum ex adiunctis est, & sententia est à Platone toties cantata de potentia & sapientie coniunctione, de regibus philosophis.

Plato Hermiæ, & Erasto,

& Corisco bene agere.

Epist. 6.

Mibi videtur deorū aliquis prosperā vobis secundamque fortunam, dūmodo sapienter utamini, prolixè liberalitèrque prestitisse. Vicini siquidem estis, rerūque vestrarum usus requirit, ut alij alios mutuis studiis & officiis quàm maximis adiuuetis. Neq; verò Hermia maior ad res gerendas facultas fuerit, vel equorū, vel reliqui apparatus bellici, vel auri quamlibet immensi, quàm fidelium & constantium & integris moribus præditorū amicorum copia. ¹ Erasto autē & Corisco ad eam (quam de ideis habet) præclaram quidem ipsam sapientiā confirmo (tametsi senex) alia tamē opus esse sapientiā & ad improbitates hominum fraudesque cauendū, & ad vim & iniuriā propulsandū. Etenim ad eas res imperiti sunt & rudes, quoniā nobiscum (qui ipsi simplices minimèque malitiosi sumus) bonā magnāmq; vitæ suæ partem consumpserunt. Itaque hac prudentia insuper illis opus esse dixi, ne veram philosophiam omittere, humanam verò & quaestuarium vehementius amplecti, quàm deceat impellantur. ² Quam quidem facultatē, quantum mihi vi-

¹ Instituit primum hūc syllogismū, Fideles amici Hermiæ sunt necessarij: Tales sunt Erastus & Coriscus: Propterea necessarij. Assumptio & cōplexio reuocantur longius.

² Instituit secundū syllogismū propositionē & assumptionem, Erasto & Corisco humana prudentia opus est: Ea autē est in Hermia. Cōplexio differtur.

³ Assumptio secundū syllogismū.

deri, qui nondum sum cum eo versatus, potest. Hermias non solum vi quadam naturæ & ingenij, sed arte & experientia consequutus est. ⁴ Quorsum igitur hæc cōmemoro? nempe cū pluribus in rebus quàm tu, & Erastum & Coriscum probauerim, expertusque sim: confirmo, prædico, profiteor non facile te reperturum, his tuis vicinis quenquam fide & integritate superiorem. ⁵ Quamobrem te hortor, ut hos viros omnibus honestis studiis complectare, neque quicquam prius & antiquius ducas. ⁶ Coriscū & Erastum vicissim moneo, ut Hermiam redamēt, studeantque mutua quadam coniunctione in vnum benevolentia vinculū peruenire. ⁷ Quod si quis vestrū fortè dissoluerit (nihil enim est in rebus humanis vsquequaque firmum & stabile) per epistolam de querelis vestris me certiolem ac meos facite. Spero enim sermones nostros ab æquitate præsertim & ingenuo pudore profectos (nisi quid admodum grauius offensum violatumque fuerit) quauis incantatione fortiores fore ad vos pristina charitate & consuetudine copulandum & coniungendum. Quæ in re si operam studiumque ponemus, quantum poterimus, quantumque valebimus, firma hæc erunt & stabilia, quæ velut oracula nunc effudimus. Quid autem his neglectis sit futurum, reticebo. Omen siquidem fælix & faustum vobis ominari cupio, & quidem recipio hæc bona omnia deorum gratia vos esse facturos. ⁸ Hanc epistolam necesse est vos omnes

⁴ Assumptio primi syllogismi, Erastus & Coriscus fideles sunt amici, quæ confirmatur testimonio Platonis.

⁵ Complexio primi syllogismi.

⁶ Complexio secundi syllogismi.

⁷ Admonet quæ de querelis inciderint, ut earum causas ad Platonem tanquam pacificatorē scribant.

⁸ Precipit ut hanc epistolam frequenter legant, & honesto pacto & iureiuramento interposito res suas inter se transigant.

(qui tres estis) & quidem simul vniuersi, aut certè bini, quàm sepius fieri poterit, lectitetis: & honesta quadam iurisiurandi pactique formula res vestras inter vos transigatis: quod non dedeceat deierantes adhibito studio, eoque liberali & concinno, adhibitæque talis studij sorore disciplina⁹ & Deum principem rerum omnium presentium atque futurarum, principisque & causse patrem Dominum obtestari: Quem si seriò & verè philosophabimur, omnes perspicuè & euidenter, quatum bono & beato viro licuerit, percipiemus & intelligemus.

⁹ Hic dogma Platonium est de trinitate, quæ se fuit in epistola secunda paulo obscurius de Deo, mente & anima mundi.

A R G V M E N T V M

epistolæ septimæ.

Expulso per Dionem Dionysio, Dionèque ipso à duobus fratribus Atheniensibus hospitibus suis interempto (ut in hac epistola narratur) Hipparinus Dionis filius, & Hipparinus Dionysii iunioris frater superioris Dionysii filius (ut in epistola proxima est) Syracusas tenebant, & armis patriam contra eiectum Dionysium defendebat: quo tempore de optima Reipublicæ forma deliberarunt. Hac igitur de re rogatus Plato hac epistola scribit, sed copiose magis & magnificè, quàm partite & distinctè. Multus enim est in exponenda triplici sua in Siciliam profectio, quomodo cum miseris omnes respublikas cognouisset, in Sicilia primùm fortè venerit, ibique Dionem nouerit. Deinde quare eodem redierit, quid Dionysio consuluerit: ubi multa etiam de Dionis probitate, deque improbitate, & eorum qui Dionem necarunt & Dionysii: de statu ciuitatis: tum quomodo postremum & reuocatus eodem sit, & inde abierit. Quæ tam prolixè persequitur, ut illorum temporis historiam magna ex parte possis hinc excerpere: questioni tamen propositæ de optimo ciuitatis statu interim abunde satisfacit, beatas nempe ciuitates esse, quibus sapientes principes prepositi, iustis & communibus omnium legibus non à se latis, sed ab optimis ciuibus ad hoc munus à republica delectis, sanctissime pareant, & exemplo suo ciues reliquos ad similem iustitiam cohortentur. Sententiæ autem multæ insti-

gnes sunt, Beata respublica, in quibus reges philosophantur, aut philosophi regnant. Vt medicus ad agrum accedit, sic philosophus ad ciuitatis consilium, si curari & possit & velit. Homines nō hominibus, sed legibus subditos esse oportet. Viro bono nil turpe potest accidere. Cæca audacia mala omnia oriuntur. Amicis non repugnandum. Philosophus amore philosophiæ omnes labores subit. Res diuina diuinitus inspirantur, non humanitus apprehenduntur.

Epist. 7.

¹ Syllogisnum hūc instituit. Si sentitis illē quod Dion, sociū me vobis adiungā: Illud autē: Hoc igitur. Assumptio præcedit.

² Propositio syllogismi, ad cui⁹ illustrationem Dionis sententiæ declaratur.

³ Vt demonstrēt quomodo Dion in hās de republica sententiā venerit, digreditur deinceps in longā vitæ suæ narrationē, vbi tamen de reipublicæ statu multa interim tractantur, & primum de calamitate rerum publicæ, quod ita concluditur: Respublicæ improbis rectoribus subdita, misera sunt: Atheniensium & aliorū populorū respublicæ improbis rectoribus subditæ sunt:

Quare etiā misera. Assumptio præcedit longā inductione in rectorum principū.

Plato Dionis propinquus & Amicis bene agere.



Iteris¹ vestris mihi significastis, eandem vobis in republica mentē sententiāque sequendam esse, quā etiam Dion sequutus esset. Itaque me cohortati estis, vt quantū mihi liceret, & factis & verbis me socium vobis adiungerem.² Ego verò si mentem & voluntatem eandem habetis, me socium fore spondeo: sin autem etiam atque etiā hac de re deliberabo. Quænam autem sententiæ Dionis voluntasque fuerit, non signis aut coniectura aliqua augurari, sed certa scientia testificari possum. Etenim cū primum Syracusas accessi, annos natus ferè quadraginta, Dion ea fuit ætate, qua nunc est filius eius Hipparrinus: quæque tum sententiæ fuit, ab ea nunquam postea decessit: nempe qui iudicaret Syracusanos liberos esse debere, & optimis legibus viuere: vt³ nihil mirum sit, si deus quispiam etiam hanc Hipparrinum in eandem regendæ reipublicæ mentem, patrique concordem & consentientem impulerit.

Qua verò ratione id factum sit, ut ea mente pater esset, non alienū est iuuenibus vel senibus auscultare. Conabor autē ab initio eam ipsam vobis exponere, opportunum siquidem id nūc & commodum videtur. Equidem adolescentulo mihi id ferè accidit, quod in ea etate plerisque solet accidere. Censebam enim quamprimum liberior viuendi potestas facta esset, rempublicam mihi capessendam esse: at ciuiliū rerum casus quidam eiusmodi obstitit. Etenim cū à multis ciuitatis status (qui temporibus illis fuit) improbaretur, festinè subitoque hic orbis in republica conuersus est, mutatisque rebus, vnus & quinquaginta viri rectores instituti sunt, vndecim quidem in vrbe, decem in Piræo: causis forensibus vtrique, cæterisque negotiis omnibus, quæ solent in vrbibus à magistratu gubernari: triginta autem omnium principes, & quidem authoritate summa facti sunt: quorum quidam mihi noti & familiares erant. Itaque me repente ad eas res (quas mihi censebant idoneas & honorificas fore) inuitarunt. Mihi tamen (ut dixi) quanuis adolescenti nihil ob etatem noui contigit. Etenim existimabam hos rectores, cū ab iniqua vita ad æquos & humanos mores ciuitatem traduxissent, rempublicā rectè gubernaturos esse. Itaque eos studiose & diligenter obseruavi: & quid agerent animaduerti. Atque istorum opera subito perspexi perfectum & demonstratum esse, superiora illa reipublicæ tempora, si cum poste

rioribus conferantur, aurea fuisse: aliáque eiusmodi cum facerent, tum amicum meum iam etate proe-
 Etum, Socratem, quem propemodum nihil verear om-
 nium hominum, qui tum fuerunt, iustissimū dicere,
 ad ciuem quendam vi comprehendendum & tanquam
 capite damnatum, unā cum sociis miserunt, ut vel
 inuitus earū rerum particeps illis, & quasi conscius
 esset. Hic autem non paruit, ac periculum quoduis
 adire maluit, quā talium facinorum affinis videri.
 Quæ sanè omnia cum viderem, & alia eiusmodi nō
 pauca, grauiter & molestè tuli, meque ipsum ab his
 flagitiis abduxi. Nec verò longo postea tempore tri-
 ginta tyrannorum dominatus occidit: totaque tem-
 poris illius potestas occubuit. Atque iterum ecce li-
 cet remissius ac tardius, attamen ad rempublicam
 animo studioque reuocor: sed tum quoque permulta
 confusis nimirum perturbatisque rebus acta sunt,
 quæ toleranda nō viderentur: ut mirum admodum
 nil esset, in tanta perturbatione pœnas ab inimicis
 grauiiores & acerbiores expeti: tametsi humani-
 tate summa, clementiáque singulari sint vsi, qui tum
 redierunt. Tum autem casu nescio quo amicū illum
 nostrum Socratem quidam ex iis (qui rerum potie-
 bantur) in iudicium adduxerunt, fœdissimique cri-
 minis, ac minime omnium Socratis vitæ congruentis
 reum fecerunt. Hunc, enim ut impium alij quidem
 accusarunt, alij autem condemnarunt, & morte mul-
 ctarunt: eum inquam, qui scelerata comprehensio-

Intelligit Tra-
 sibiulū, qui exu-
 les Athenienses
 reduxit in pa-
 triā. de quo Lu-
 stinus libro 5.

nis illius quasi contagionem fugerat, ne de proscri-
ptis tum miseris & afflictis amicum quendam suum
violaret. Hæc itaque flagitia mihi cogitanti & eo-
rum temporum magistratus, leges, instituta animo
memoriâque repetenti, quanto magis considerabam,
quantoque longius ætate procedebam, tanto maius
difficiliusque videbatur rempublicam bene gerere
& sæliciter administrare. ² Neque enim posse sine
fidelibus sociis & amicis rem geri, quales tamen nul-
li superessent: neque noui alij parari facile possent,
cùm ciuitas nec legibus, nec institutis patrum rege-
retur, sed iura & mores funditus euerterentur: id-
que malum manaret in dies latius: ³ Itaque ego qui
primùm tanta cupiditate incensus ad rempublicam
fueram, hæc ipsa cernens, omniâque sursum ac deor-
sum agi conspiciens, animo prorsus æstuabam, nec
habebam planè quo me verterem: neque tamen in-
quirere desinebam, num quis melior, & his casibus,
& vniuersa reipublicæ status accideret, eamque oc-
casionem vrbaniis rebus capeffendis expectabam:
tandem verò percepi res omnes publicas vitiose re-
gi, quod & leges pene insanabiles haberent, neque
egregia vlla institutione tenerentur, sed vaga & in-
ani temeritate iactarentur. ⁴ Quapropter verâ syn-
ceramque philosophiam celebrans (quòd ab ea om-
nis & publicarum & priuatarum rerum æquitas iu-
stitiâque petenda videretur) adductus coactûsque
sum, vt prædicarem, hominum generi nullum mise-

² Cõcludit bre-
uiter quare ad
rempubl. nõ ac-
cesserit. Qui re-
gere rēpublicā
volūt, fideles a-
micos habere de-
bent: Ego verò
nullos inuenire
poterā: Quare
non accessi.

³ Cõplexio pro-
ximi syllogismi
cum argumenti
repetitione.

⁴ Propositio ge-
neralis de mise-
ria rerumpubl.
quæ sentētia ve-
lut oraculum
quoddā vulgò
citatur, & s. de
republ. ab eodē
authore decla-
ratur.

riarum modum, malorumque finem prius futurum, quàm aut rectè verèque philosophantium hominum genus ad ciuiles magistratus & publicos accessisset, aut ù penes quos ciuitatum principatus essent, singulari aliquo deorum immortalium beneficio verè san-

⁵ Docet aliã rerum publ. miseriam ex intemperantiã ciuium moribus. exempla sunt Italicorum & Siculorum morum, vbi de prima profectio ne in Sicilia aliquid attingitur, non tota historia narratur.

ctèque philosopharentur.⁵ Hac itaque mente in Italiam Siciliamque primùm sum profectus, eoque cum venissem, beata (quæ illic dicitur) vita Italicis Syracusanisque epulis referta nequaquam placuit, bis die satiari & expleri, noctu solùm nunquam dormire, & eiusmodi cætera, quæ talem vitam comitantur.

Neque enim ex iis moribus, eorum, qui sub celo sunt, hominũ quisquam vnquã (qui ab adolescentia hanc degenda vite rationem sequutus sit) vel prudens vel ingenio præstans & excellens existat: temperans

⁶ Generalis propositio: vbi ciues sunt intemperantes, res publica misera est, & in vitiosum statũ aliquẽ perpetuò labitur.

esse certè nunquam laborabit. Ac de cæteris quoque virtutibus eadem sanè ratio fuerit.⁶ Nulla verò vnquam ciuitas in vlla legum tranquillitate conquiescet, in qua ciues facultates suas effusis sumptibus

⁷ Significat iniuriã tollendã tyrannidẽ à se profectũ esse. quod circa finem epistole rursus affirmabit, cum dicit tot mala

exhauriant, sibi que omnibus in rebus mollitiem & cessationem proponant, nullũque laborem, nisi in conuiuio, & vino & stupris subeant: necesse siquidẽ est eiusmodi ciuitates perpetuò nunc in tyrannidem,

Dionysio cõtingisse, quia Platonis consilium neglexerit. De moribus autem Dionis hinc adicit, quã apud Plutarchũ scribuntur.

nunc in paucorum libidinem, nunc in populi leuitatem variè cõmutari, ab earumque principibus iuramentis & æquabilitatem ne nomine quidẽ audiri.

⁷ Quibus rebus cognitis & perspectis forte fortuna Syracusas accessi, eaque profectiois fortuna prin-

cipi rem arte & astu providenti, eorum omnium (quæ Dioni & Syracusanis contigerunt) principium fuisse videatur: verendumque est ne maiorum etiã rerum initium rursus existat: nisi vos hoc tempore secundis meis monitis consiliisque pareatis. Quonam pacto igitur affirmo nostrum hunc in Siciliam aduertum, omnium temporis illius euentorum causam principiumque fuisse? Nempe cum in Dionis tum iuuenis congressum, colloquiumque venissem, & quæ hominibus optima mihi viderentur, ea verbis demonstrassem, agendaque suasissem, tum mihi videor occultè & velut imprudens futuram tyrannidis euersionem machinatus esse. Etenim Dio auidissimus audiendi discendi que fuit, & cum permulta alia, tum rationes doctrinæ nostræ sic excepit, vt omnes adulescentes (quos quidem viderim) ingenio studioque longè superaret: statuítque reliquam vitam multò plerisque & Italis & Siculis excellentius instituere: virtutemque omnibus voluptatibus deliciisque longè antepone-re. vnde accidit, vt vsque ad obitum Dionysii viuis in odio inuidiãque apud eos esset, qui tyrannicis institutis viuerent.⁸ Postea autem animaduertit eandem ipsam mentem (quam rationibus honestis ipse comparasset) cum aliis quoque communicari posse, quorum è numero diis bene iuuantibus Dionysium fortasse nõ desperaret futurum. Quod si contigisset, & ipse & alij Syracusani mirificam vitæ fælicitatem consequerentur. Quapropter omnibus

⁸ Hactenus de prima pfectio-
ne. deinceps nar-
ratur causa se-
cunda & sic cõ-
cluditur: Si rex
bonus est, regnũ
est beatũ: Si Pla-
to venerit, regẽ
bonum faciet: Si
Plato igitur ve-
nerit, regnũ bea-
tũ erit. Assum-
ptio & cõplexio
cõfuse precedunt.

c. iij.

modis contendendum & enitendum putauit, vt Syracusas aduolare, earumque rerum socius & adiutor essem. Memoria siquidem tenebat, quam facile nostra consuetudine in amorem honestissimæ & beatissimæ vitæ perductus esset. Quod si in Dionysio perfecisset (sicut instituerat) magna spe tenebatur, sine sanguine, sine cade, sine tot malis, quæ iam contigissent, breui tempore se perfecturum, vt tota Sicilia fortunatissimè ac beatissimè viueret. Quæ cum sapienter Dion animaduertisset, Dionysium impulit vt me aduocaret : atque ipse vnà scribens rogauit, vt rebus omnibus posthabitis quam celerrimè accederem, priusquam nonnulli Dionysii familiares ipsum ab optima vita ad aliam quandam auerterent. Hæc verò, atque etiam multò plura commemorabat. ⁹ Etenim (aiebat) quas tandem occasiones (quæ diuina quadam fortuna oblata sunt) ampliores expectabimus? Narrabat deinde Dionysii per Italiam, Siciliamque principatum, & his in locis potentiam & iuuenilem ætatem, atque erga philosophiam & literas ardorem: addebat etiam de liberis & fratris & sororis, deque domesticis omnibus quam faciles propensi que forent ad eam disciplinam, vitamque suscipiendam, quæ à me probaretur & laudaretur, quamque ad exhortandum Dionysium idonei & accommodati. Quamobrem si vnquam aliàs, nunc sanè spem esse certissimã, eosdem homines & philosophos, & magnarum ciuitatum principes &

⁹ Cohortatio
Dionis ad accer-
sendū Platonem
sumpta ex supe-
riore illo publi-
ca felicitatis ar-
gumento ex phi-
losophis regib⁹:
addita sunt etiã
circumstãtiæ do-
mesticorū, quo-
rum consuetudi-
ne Dionysius in-
citari possit.

rectores fore. Eiuscemodi verò cohortationes & alie quædam permultæ Dionis fuerant. Ego tamen quorsum hæc adolescentium cupiditas euaderet, metuebam: quorum voluntates mutabiles sunt, & sæpe sibiipsis repugnantes atque contrariæ. Tametsi Dionis mores & natura graues & ætate ipsa maturos & constantes cognoueram. Itaque cùm dubitarem & considerarem proficiscendùmne esset & obsequendum necne, tandem subiit eundum esse, ac si quis vnquam & de legibus & de Republica, quæ meditatatus esset, exequi cogitaret, tum vel maximè id aggrediendum esse. Nam si vnum duntaxat impulisset, omnia bona abundè præstaturus essem.

¹⁰ Quapropter ea & sententia & fiducia domo abij, non vt plerique existimabant, sed mea quadam verecundia in primis adductus, ne quando solùm vanus quidam nugator esse, opus nullum sponte suscipere, Dionisque hospitalitatem & amicitiam in periculo non mediocribus constituti prodere existimarer. Itaque siquid illi accidisset, aut à Dionysii, aut aliis inimicis expulsus ad nos profugisset, atque ita me conueniret, ¹¹ O Plato extorris patria & exul ad te confugio, non militum, non equitum copiam requirens ad inimicos vlciscendum, sed orationis & eloquentiæ facultatem, qua te plurimum posse cognoueram in hominum adolescentiũ animis ad probitatem & æquitatem cohortandis, & in mutuam beneuolentiam amicitiamque assiduè coniungendis.

c. iij.

¹⁰ Confirmat idem ex dissentioni circumstantiis, Si nõ venissem, vanus existimarer.

¹¹ Dionis prosopeia, qua disputatur rursus proximum argumentum.

Quibus tua quidem culpa modò per te destitutus, Syracusas fugiens, huc aduenio: ac mea quidem fortuna minus fortasse tibi dedecus attulerit, Philosophia autem (quam perpetuis laudibus in celo ponis, & à cæteris hominibus contemptam & despectam esse conquereris) an non per te nunc mecum prodita videbitur? Ac si Megaris quidem fuisset, accurrisses utique ad opem ferendum, quasunque ad res implorasses, aut te omnium mortaliũ ignauissimum iudicasses: nunc verò te scilicet itineris longitudine & nauigationis laborisque difficultate excusans, credis te tandem malitiæ famam & improbitatis euitaturum? multum equidem aberit. Hæc inquam si sic diceret, quidnam obsecro posset honestè responderi? nihi sanè.¹² Quare accessi & quidem ratione tam legitima commotus, quàm quisquam possit ad hoc iter ineundum commoueri: ob id enim exercitationes honestas intermisi, ut tyrannidem neque meis studiis, neque mihi conuenientem subirem. Cùm igitur venissem, me ipsum omni suspicionem criminis liberaui, ne quisquam vel hospitalem Iouem, vel ipsum philosophiæ numen à nobis violatum meritò queri posset: quod ipsum sanè ignominiosum esset futurum, si mollitia debilitatus atque ignauia turpem fædâque infamiæ notam mihi inuisissem. Veruntamen post aduentum meum (neque enim longius euagetur oratio) omnia seditio- & calumniarum de Dione tyrannidem velut affectan-

¹² Cõmemorat que post secundã profectiõnem cõtigerit in Sicilia, quomodo Dio expulsus sit quarto mense post aduentũ Platonis, velut regnũ Dionysii affectaret. Occasio autem huius cãlionis ex epistola quadã Dionis de pace ad Carthaginienses scripta sumpta est. Vide Plutarchum in Dione.

te apud Dionysium plena comperi. Summo autem studio defendi, sed parum potui. Quarto siquidem postea mense Dionysius accusans ab eo tyrannidi insidias fieri, Dionem nauigiolo imposuim turpiter eiecit. ¹³ Nos autem omnes amici Dionis metuimus, ne quem nostrum criminaretur, ac velut insidiarum conscium supplicio afficeret. Ac de me rumor quidam Syracusis percrebuit, quod à Dionysio tanquam eorum author interemptus essem. Verum cum nos omnes sic affectos esse sentiret, metuens ne quid atrocius ex hoc metu existeret, omnes benignè & humaniter accepit, meque ipsum imprimis consolatus est, benèque sperare iussit, orauitque impensius ut manerem. Mea enim discessio vituperationi fuisset, remansio autem laudi. Itaque valde se precari simulabat: attamen tyrannorum preces cum violentia & necessitate coniunctas esse scimus. Quare cum retinendi mei rationem comminisceretur, omni me nauigationis potestate prohibuit. In arcem enim deduxit, ibique habitare iussit, unde nullus nauicularius non modò prohibente Dionysio, sed nisi mandante atque imperante possit educere: neque mercator, neque vllus præfectus oræ maritimæ, neque omnino quisquam me abeuntem conspexisset solùm, qui non protinus comprehensum ad Dionysium reduceret, præsertim cum secus, quàm antea vulgatum esset, quemadmodum Platonem Dionysius mirificè complecteretur: idque sanè ita erat: ve-

¹³ Plato recētus à Dionysio & humaniter tractatus, & tam vehementer amat, ut id grauius duntaxat in Platone ferret, quod ab eo Dio pluris quàm ipse fieret. Vide Plutarchum in Dione.

rum enim confitendum est. Nam me assidue magis ac magis pro morum suorum consuetudine complectebatur, cupiebatque se magis à me, quàm Dionem laudari, seque mihi quàm illū chariorē & amiciorē existimari: idque mirandum in modum à me contendebat. Qua autē ratione id optimè fieri posset, si tamen fieri posset, nihil laborabat: nempe ut discendo & auscultando, philosophiæ rationibus & consiliis se dederet, mihi que obtemperaret. At verebatur calumniatorum sermones, ne quid fortè turbaretur, Diōque interea omnia quæ vellet, conficeret. Ego verò omnia perferebam, & in prima sententia permanebam: qua profectus eram, observans, si quomodo Dionysius in amorem philosophicæ vitæ posset adduci. Ipse autem resistendo tandem me vicit. Atque primum tempus sic omnino traductum est, & quo sum in Siciliam profectus, & quo ibidem

14 Instituit rationē tertiam profectiois in Siciliam & generaliter de sapientis officio in republ. præcipit. Sapientis est in republ. sic versari, ut rationi obtemperantes civēs consilio resistentes omittat. Id Plato fecit: Sapienter igitur egit. Propositio si similitudine medicæ declaratur.

sum commoratus. ¹⁴ Postea verò abiī, summisque Dionysii precibus adductus rediī. Quamobrem verò redierim, & quid consentaneum iustumque egerim, ubi primum de rebus ita se nunc habentibus dixero, de iis postea scribam, & quidem eorum gratia, qui interrogant quo consilio iterum sim profectus, ne res alias agere, præcipuas omittere videar. Enimvero hæc affirmo, Si quis egrotanti & præua ratione victus utenti de valetudine recuperanda præcipiat, nonne id imprimis est necessarium, ut vitium commutet & parere cupienti, contraria sua-

deat? recusanti verò nihil omnino consulat? Hoc enim qui faciat, & virum & medicum arbitrabor: qui verò contrà fecerit, eum & ignaum, & medicæ artis imperitum iudicabo. Simillima verò, germanaque res est in ciuitate, siue princeps eius vnus, siue plures fuerint. Nam si recta ratione Respublica decenter administratur, & de rebus vtilibus deliberetur, sapientis est talibus ciuibus consilium dare. At cùm ciues iter ab illa recta republica deuiũ tenuerint, eiúsque vestigiis insistere & ingredi noluerint, principique suo denuntiarint, vt Rempublicam missam faciat, neque attingat, aut paratã sibi mortem proponat, iusserintque vt eorum libidinibus & cupiditatibus inseruiat, viãque doceat, qua & facillimè & celerrimè quod velint, assequantur, hunc inquam Reipub. rectorem, qui hæc patiatur, nequaquam virum putabo: contrà verò, qui fecerit, verum principem nominabo. ¹⁵ Hac sententia fui, quoties de re aliqua grauiore ad humanam vitam pertinete quisquã me consuluit, vt de facultatibus & opum possessione, aut de corporis vel animi cultu & institutione, si tamen vitæ quotidiana modum aliquẽ habere videretur. Quòd si consulenti audiens esse velit in his rebus, de quibus consultatur, non modò libenti & gaudenti animo, sed etiam prompto & alacri consilij mei copiam facio: at si nulla de re omnino consilium petitur, aut consultor obsecuturus esse consilio non videatur, vltro consilium illi meum non

¹⁵ Assumptio de Platonis factis ad illud prescriptũ sapientis officium accommodatis.

offero: per vim autem ne filio quidem meo consilium darem: seruo tamen consularem, & repugnantem etiam cogere. At cogere vel patrem vel matrem nefas esse arbitror, nisi fortè morbo aliquo in insaniam delirationemve lapsos. Certam autem degenda vitæ viam sequentibus, ipsis quidem probatam, mihi autem nequaquam, neque frustra molestus & odiosus monitor esse, nec assentator, neque explendis improbis libidinibus (quas si sequerer, hac me luce indignum vitæque iudicarem) materiem ministrare

¹⁶ Redit ad propositionem, unde reuersus ad assumptionem, & ad republ. Dionysii accesserit, commemorat quid tum consuluerit tyranno, & quomodo patrem improbum fuisse disputarit, quod amicis careret, deinde eadem ratione filium.

ac suppeditare velim. ¹⁶ Idem sanè de ciuitate sua sapientem virum sentire decet, vt moneat & reprehendat, si malè gubernari Respubl. videatur, modò neque frustra moneat, neque cum vlllo vitæ periculo reprehendat, vim tamen patriæ in corrigendo ciuitatis statu non afferat, quoniam sine exiliis, sine cædibus ciuium eiusmodi correctio fieri non possit. Verùm quietus & tacitus & sibi & patriæ bene precabitur & optabit. Hoc quidem pacto vobis consulerim. Cõsulebam autem Dionysio vt quotidianam vitam primùm sic institueret, vt ipse sui imprimis compos esset, fidelisque amicos & socios pararet, ne quod antea patri, illud idem ei contingeret, qui cum multas & magnas Sicilia ciuitates à Barbaris vastatas & euersas cæpisset, non potuit cum eas restituisset, in singulis fideles rectores collocare, neque ex amicis neque ex alienis neque ex fratribus, quos à primis incunabilis educauerat. Homines autem &

obscuros & egentes summis magistratibus & amplis opibus supra modum auxit & ornauit: quorum neminem sibi principatus adiutorem neque suasionem, neque disciplinam, neque beneficium, neque necessitudine deuinciens efficere potuit: ¹⁷ Darioque septies nequior deteriorque fuit, qui neque fratribus, neque iis (quos aluerat) se committere credereque ausus est, sed iis tantummodo sociis (quorum opera ad Midam & Eunuchum superandum usus erat) septem imperij prouincias, easque singulas vniuersae Sicilia, magnitudine nequaquam comparandas partitus est: quorum in imperio gubernando summam fidem & integritatem expertus est, ut nullas insidias vel suo regi, vel inter se sibi ipsis facerent: exemploque docuit, qualem sapientem legum latorem praestantemque regem esse deceat: suis enim legibus ad hoc usque tempus imperium Persarum conseruauit. ¹⁸ Quinetiam Athenienses tametsi ipsi nequaquam dirutas à Barbaris vrbes restituisent, sed cultas & celebres accepissent, imperium tamen cum fideles ciuitatum rectores adhibuisent, annos quinquaginta retinuerunt. At ¹⁹ Dionysius cum Siciliam vniuersam in vnam ciuitatem coegisset, astutia quadam omnibus diffidens, vix tandem propter amicorum inopiam, ac ne vix quidem seruatus est. ²⁰ Quo quidem & probitatis & improbitatis argumentum maius esse nullum potest, quam hominibus amicis, fidelibusque vel carere, vel abundare. ²¹ Itaque haec

¹⁷ Amplificatio assumptionis ex minoribus. Dario quamuis deterrimo, Dionysius tamen deterior fuit.

¹⁸ Collatio dissimilis exempli ad eandem amplificationem.

¹⁹ Redditio de Dionysio ad utramque collationem.

²⁰ Sētētia propositionis, Improbus est qui caret amicis.

21 *Accomodat
exemplū patris
filio, & ex eadē
propositione rur-
sus assumit, &
Dionysius mi-
nor amicis ca-
ruerit, ideoque
fuerit impro-
b⁹.
Sed pro comple-
xione adhorta-
tio est ad parā-
dos amicos.*

Dionysio & ego & Dio consulebamus, quando qui-
dem patri ea fortuna contigisset, non alia de caus-
sa, quàm quòd ab humanitate & honesta hominū
consuetudine tam vehementer abhorreret: consule-
bamus inquā, primūm vt ad ea respiciens, alios sibi
amicos ex domesticis atque equalibus ad virtutem
comparandam simili studio captos quæreretur: seque
ipsum imprimis componeret & conformaret. Eum
enim ab amicis & fidelibus sociis mirandum in mo-
dum inopem esse. Neque tamē id palām & aperte
monebamus (tutum siquidem non fuisset) sed obscu-
rē iaciebamus, & verbis latenter disputabamus.
Quod quicumque veris amicis instructus esset, &
sibi ipsi, & eis omnino (quibus esset praefectus) salutē
daret: contrā verò qui secus fecisset, ruinam & per-
niciem afferret. Itaque si & viam illam tenuisset, quā
docebamus, seipsum & prudentem & temperantē
praestans: & desertas Sicilia ciuitates restituisset, le-
gibūsq; & institutis conformasset, vt & ipsi bene-
uolae & inter se aduersus Barbaros existerent, fore
vt paternum imperium non duplicaret tantum, sed
in finitis partibus amplificaret: longē enim facilius
Carthaginenses vinci subigique posse, quàm aliquā-
do à Gelone victi subactique essent, contrā quàm
patri eius accidisset, qui tributum Carthaginensi-
bus pendere coactus esset. ²² Hæc igitur sunt quæ
disputabantur & admonebantur à nobis insidiantibus
videlicet, vt passim rumores quidam & sermo-

22 *Cōcludit cō-
siliū Dionysio da-
ti summam, &
approbat euentu.*

nes divulgati sunt, qui nobis apud Dionysium superiores, Dionem quidem expulerunt, nos verò in magnum metum coniecerunt. Vt autem paucis multa complectar. Peloponneso & Athenis profectus, Dio re ipsa & euentu Dionysium admonuit.²³ Posteaquam autem patriam liberasset, & pristinae libertati Syracusanos bis restituisset, eodè in ipsum animo fuerunt, quo Dionysius antea fuerat, cum ipsum tamen regem tali imperio dignum fingere & instituerentur, reliquumque vitæ tempus cum eo traducere cogitaret.²⁴ At interim Dionysius aures calumniis eorù dabat, à quibus Dio affectati regni crimine accusabatur, omnesque nervos eò contendere, vt Dionysius literarum dulcedine captus & illectus, regni curam deponeret, eamque Dioni totam permitteret, atque hac fraude Dio regnum vsurparet & assumeret, Dionysiumque expelleret. Hæc tum sanè apud Dionysium, posteaque apud Syracusanos iactata peruicerunt, sed victoria, victoria ipsius authoribus infami prorsus atque abominanda. Quod cuiusmodi fuerit, audire vos, atque intelligere necesse est, qui me ad presentium rerum statum componendum inuitatis. Equidem Atheniensis homo & Dionis amicus, eiusque fautor & adiutor ad tyrannum profectus sum, vt inter eos pro bello pacem beneuolentiãque conciliarem. At in eo certamine calumniatoribus impar fui, victusque succubui.²⁵ Cùm verò Dionysius & honoribus &

²³ Digreditur abrupta tēporis historia in Dionis interfectiones: nondū enim Dio casus erat in hac secunda profectioe, sed post tertiã, quæ deinde narratur.

²⁴ Repetit calumnias Dioni obiectas, quarū etiam particeps Plato fuit, qui Sophista à calūniatoribus vocabatur, quasi eloquētia veneficiis & incantamentis Dionysium seduxisset. Vide Plutarchum in Dione.

25 Continuat
historiã de Dio-
nis interfectori-
bus Atheniensi-
bus, vt tanti sce-
leris infamia pa-
triã liberet, &
pbitatis sue ex-
emplũ opponit.
Atheniẽsis fue-
rit Dionis inter-
fectõr, Atheni-
ensis etiam fuit
Plato Dionis i-
teger defensor:
de se prius dicit,
tum de illis ho-
mucidis. Vide
sceleris historiã
in Plutarcho.

26 Comparat
vtrunque exem-
plum preßius, et
cõcludit hos sic
carios tanti non
esse, vt patriam
dedecorent.

muneribus me sibi velut astipulatorem & amicum conaretur efficere, vt eiekti Dionis honestam speciẽ aliquam & iustam sibi pratexeret: horum nihil à me potuit impetrare. Postea autem Dio reditum in patriam parans, fratres Athenienses secum assumpsit, non quidem philosophiã studio & communicatione sibi coniunctos, sed ex hac plebeia permultorũ hominum amicitia, quã vulgò ex hospitiorum & sacrorum & spectaculorum familiaritate conciliari solet. Itaque hi fratres qui Dionẽ in patriam reducerunt, cum ex illis causis, tũ ex eo maximè, quòd eius reditum adiuuerant, in Dionis amicitiam insinuati sunt: qui in Siciliam profecti, cum Dionem apud Syracusanos ab eo liberatos odiosum & inuidiosum quasi regnum affectantẽ animaduverterent, non solum amicum & hospitem prodiderunt, sed propè suis manibus interemerunt: arma siquidem manibus suppeditates interfectõribus, adiutores & administri cedis adfuerunt. Quam & fæditatem, & impietatem neque ipse tacitus pratereo, neque item cõmemoro. Plerique enim alij tam indignum facinus & nunc lamentantur, & imposterum deplorabunt. ²⁶ Quod igitur de Atheniensibus ita dicitur, tãquam ciuitati maculam aliquam sceleris huius inusserint, equidem nõ assentio. Etenim illum quoque Atheniensem esse confirmo, qui nullis opibus, nullis honoribus moueri potuit, vt eundem ipsum Dionem proderet, neque mercenaria & seruili

necessitudine amicus erat, sed honesta liberalis disciplina communicatione : cui quidem soli fides amplior adhibenda est, quàm ulli vel animorum, vel corporum cognationi. Quare neque tanti putandi sunt Dionis interfectores, ut patriæ dedecus afferat, quasi præstantes, aut eximij viri vnquam fuerint. Atque hæc hæctenus omnia, ut Dionis amicis propinquisque consulatur.²⁷ Cōsulo verò insuper idem, quod antea, & eandem sententiã tertium vobis tertis expono, ne dominis hominibus Sicilia, neque vlla ciuitas alia (hæc siquidẽ sententiã mea est) sed legibus subiecta sit. Neque enim dominatibus, aut seruientibus ea res utilis est: nec ipsis, nec ipsorum liberis, liberorumque posteris, sed exitiabilis & perniciosa. Angustis verò & sordidis moribus animi eiusmodi lucra solent appetere, sed qui neque in presens, neque in posterum tempus bonum quicquã & iustum vel diuinum vel humanum norint. Hæc primùm quidẽ Dioni persuadere conatus sum, deinde Dionysio, postremum etiã nunc vobis ac mihi per Iouẽ^a tertium seruatorem obtẽperate.²⁸ Ponite vobis ante oculos & Dionysium & Dionem: quorum ille me non audiens turpiter viuit: hic verò audiens honestam mortem obiit. Neque autem viro res honestas & sibi & patriæ cupienti quicquam potest, nisi rectum & honestum accidere: neque quisquam nostrum natus est immortalis, neque, si cui id eueniret, iccirco, ut vulgus arbitratur, beatus esset. Bonum quidẽ & malum æstimatione di-

d. i.

²⁷ Interponit huc velut præteriens sententiã suam de rebus ut ciuitates legibus subiecte sint, non hominibus.

^a Quia ter è Sicilia incolumẽ reduxerat.

²⁸ Comparat Dionem cõ Dionysio, & illius honestam mortem, huius vitam infamem esse disputat: ubi interim anima immortalitas asseritur, sicut epistola secunda.

gnum rebus anima carentibus nihil est: id enim singularibus animis, aut vnà cum corpore coniunctis, aut ab eo separatis accidit. Et quidem certè priscis & sacris oraculis credendum est, affirmantibus animos nobis immortales esse, qui propositos vitæ superioris iudices habeant: atrocésque pœnas (cùm à corpore discesserint) luant. Quare etiam graues iniurias, & acerbis fraudes pati, quàm facere leuius malum putandũ est. ²⁹ Quæ quidem homines auari & stupidi non audiunt, aut si audiant, pro suo iudicio deridentes ac despicientes, impudenter vndique beluarum more rapiunt, quicquid ad ventris sui pastũ potũmque putant attinere, aut ad stuprorũ libidinem seruilem & abiectam, nec voluptatis nomine quidẽ dignam, cùm expleri nunquam satiarĩve possit: cæci etiam nec intelligentes quibus rebus impietas adiũcta sit, quantũmque malum, quàmque semper cum quouis maleficio permistum. Quæ necessario iniustos omnes comitatur, siue viui super terram versentur, siue mortui sub terra, via vbiq̃ue terra ac miserabili errent & vagentur. ³⁰ Dioni quidem & hæc & alia eiusmodi persuasi. Atque eius interfectoꝝ succensere queam simillimè sanè atque Dionysio. Vtrique enim & me, & , vt summam dicam, cæteros omnes homines maximis damnis affecerunt: illi, quòd virum iustum necauerunt: hic, quòd per totum imperium iustitiã contempsit, quãuis potentia maxima præditus esset. ³¹ In hoc autẽ im-

²⁹ Illustrat proximum locum ex dissimili, quòd hæc oracula à libidinosis irridantur.

³⁰ Redit ad probitatem Dionis, & contrariam homicidarũ & Dionysii improbitatem.

³¹ Hæc sententia secũda epistola fuit, & in hac paulò antè de philosophis regibus.

perio si philosophia & potentia vnà copulata & cōiuncta fuissent, inter omnes homines & Gracos & Barbaros, valde claram & insignem sententiam, & omnibus apertè veram probauisset, nunquam fore fœlicè vel ciuitatem, vel hominum quenquam, nisi sapièter iustèque, aut sua ipsius virtute, aut sanctorum principum moribus educatus, ingenuè & liberaliter institutus vixisset. His quidem in rebus Dionysius nocuit, in cæteris autem si conferantur, parua culpa fuerit. Qui autem Dionem interemit, nō vidit par se cum Dionysio scelus admisisse. Dionem siquidem verè confirmare possum, quantum homini de homine licet affirmare, si diutius regnasset, nunquam aliam Reipublicæ formam fuisse nouaturum, quàm instituerat. Siquidem primùm Syracusis patriam cùm seruitute liberasset & recreasset, liberam Rempublicam constituit: ac deinde si vixisset, omni studio ciuitatè legibus optimis & iustissimis exornasset, tùmque pari contentione perfecisset, vt tota Sicilia frequentaretur & incoleretur, vindicareturque à Barbaris, partim expulsis, partim etiam facilius quàm ab Hierone vnquã fuissent, subactis & domitis. Quæ cùm per virum & iustum & fortem & tēperantem & sapientem, omni denique virtute eximium & præstātem facta essent, virutis fama passim eadem illa fuisset, quæ Dionysium, si mihi paruisset, apud omnes homines (vt verè dicā) fortunatum & florentem ser-

d. ij.

32 Sic Plutar-
chus de Dione
& Bruto ait
malignos demo-
nes bonis viris
inuidere, nec cum
honestè vixerit,
post mortē sorte
quàm ipsi me-
liore fruantur.

33 Adhortatur
ad imitationē
Dionis, & ex cō-
trario calami-
tates euenturas
demonstrat.

uauisset. 32 Verum enim uero demonū (vt opinor) aut
certè hominū detestabilis & execrabilis quispiam à
recto mētis statu deturbatus & præcipitatus in iniu-
stitiam, impietatem, temerariam cecitatem, igna-
rāque audaciam (ex qua mala omnia radices ha-
bent & fruticantur, & in posterum tempus autho-
ribus suis amarissimos fructus produciunt) omnia rur-
sum perturbauit atque euertit. 33 At nunc tertio bo-
num potius omen ominemur, vósque potius amicos
hortemur, vt Dionem Dionisque in patriam cha-
ritatem, in victu temperantiā magis ac magis pro-
positam habeatis, bonisque auibus consilia eius exe-
qui studeatis. Quanam autem fuerint, ex me perspi-
cuè cognouistis. Ac si quis fortè inter vos erit, qui
Doricè, id est, ex patriæ moribus temperanter &
moderatè viuere nesciat, uiuat autem & parricida-
rum illorū, qui Dionem necauerunt, & Siculorum
reliquorum more: hunc nec inuitetis, nec fidum quic-
quam, aut sanum vnquam facturum existimetis: cæ-
teros verò monete & excitate ad Siciliam restituē-
dam, & incolis explendam ac frequentandam: nec
Athenas formidate. Habet enim ciuitas illa viros
omnium virorum optimos & virtute clarissimos,
valdeque odit & execratur eorum scelus & auda-
ciam, qui hospitem suum trucidarunt. Quare si hæc
facere statuitis, accelerate: vrgent enim vos permul-
ta & varia & quotidiana discordia. Persuasum
equidem omnibus esse necesse est (quibus dii vel pu-

sillum mentis sanæ dederint) nunquam seditionis au-
thoribus, malorum finem, quietemque futuram prius,
quam qui vicerint armis, ab exiliis, & cædibus, &
vltionibus, & suppliciis inimicorum abstineant, mo-
deratiorésque & temperatiores facti, legibus com-
munibus nihilo magis ad victoris, quam victi volu-
ptatem constitutis, cogant victos vti, & quidem ne-
cessitate duplici, pudore & metu: metu quidem, cum
potentiores sint, vim repugnantibus adhibeant: pu-
dore verò, cum præstantiores quidem sint, & ta-
men in voluptatibus coercendis magis etiam quam
victi legibus seruire & obtemperare cupiant: secus
fieri non potest, vt ciuitas intestinis seditionibus agi-
tata, malis liberetur, sed sic affectis ciuitatibus ori-
entur discordiæ, inimicitia, odia, fraudes, atque eius
modi cætera, quæ quidem ipsis inter se solent acci-
dere.³⁴ Victores autem cum reipubl. salutem specta-
bunt, inter se viros alios aliis anteponent, quos opti-
mos esse cognouerint: senes quidem primùm, qui li-
beros & vxores domi habeant, & patrum maio-
rumque quamplurimos virtute & fama claros, cen-
sûque honesto præditos, vt eiusmodi senes quinquaginta,
ciuitatem decem millibus ciuium citò possint
explere, atque hos viros ita delectos domo & præ-
cibus & honoribus quàm maximis euocabunt: euoca-
tosque, & iureiurando astrictos orabunt & admo-
nebunt, vt leges condant, neque victoribus quàm
victis plus tribuant, sed æquum ius & commune,

³⁴ Prescribit
modum nouæ ci-
uitatis ex popu-
lis bello domitis
institueda: vbi
vt ciuitas mu-
giou d'gos, id est,
decem millium
efficiatur, neces-
se est singulis
quingenis
ducentos adiū-
gi. Quinto ve-
rò de legibus
quingies mille-
norum & qua-
draginta ciuiū
numerum Pla-
to perfectissimū
putauit, quia
hic numerus
plurimas & cō-
tinuas ab vno
partitiones ca-
peret.

d. iij.

ciuitati describant. Quae si constituta sic erunt, in hoc sanè omnia constabunt. Nam si victores se legibus obsequentiores quàm victi praebeant, tum omnia salutis ac beatitudinis plena aderunt, à malis & miseris omnia procul aberunt: sin autem victores legibus solutos se putabunt, nec ego, nec alius quisquam cōsiliarius aduocandus est ad eum, qui praesentia monita negligat. Atque haec germana similiaque sunt iis, quae & Dio, & ego, Syracusanorū amore ac studio conati sumus efficere, quanquam haec posteriora: tentatum enim prius est, cum Dionysio an illa cōmunia omnium bona effici possent. Sed fortuna nescio quae viribus humanis maior atque potentior, omnia dissipauit, quae vos faustis ac faelicibus auspiciis, & diuino quodam fato restituere contenditis.

³⁵ Redit ad historiam temporis, & describit tertiam profectioem in Siciliam, quae secunda fuit ad Dionysium Iuniorē: causa verò eadem narratur, quae sunt epistola tertia cōprehensa, quarum summa sic est, Quod amici rogāt, est praestandum: At amici rogabāt ut venire: Propterea veni. Assumptio praedit longa inductio.

Atque haec tenus consilium, & quod epistolae mandatum commissumque est, expositum sit, & ad minorem Dionysium prima profectio. Secunda autem profectio ac nauigatio, ne temerè ac sine causa suscepta videatur, si quis id scire cupiat, postea quae fuerit, explicabo. Primum siquidem tempus nostrae in Siciliam cum Dionysio necessitudinis ita traductum est, vt dixi, priusquam Dionis amicis sociisque quicquam consularem. Postea verò à Dionysio omnibus modis contendit, vt mē dimitteret. Itaque conuenit inter nos vt abirem, & pace facta (tum enim Sicilia bellis impediatur) Dionysius Dionem, mēque reuocaret, vbi res im-

perij paulò tutiore loco ac firmiore constituisset: Ac Dionis absentiam illam nolebat exilium, sed secesum quendam existimari. Ego verò his legibus me redituum promisi. At verò pace iam constituta, Dionysius me quidem reuocabat, Dionem autē rogabat, vt adhuc annū remaneret, me verò vt omnino accederē, precabatur. Quare Dio monebat & orabat vt nauigarem. Etenim magna quadam fama per vniuersam Siciliā increbuerat, incredibili quodam philosophiæ studio & amore Dionysium rursus incendi. Quæ caussa erat, quamobrem Dio me vehementius impelleret, ne Dionysio vocanti & accersenti, denegarem. Ego verò noram adolescentes in philosophia sic affici solere, attamen quia varij sunt & mutabiles, mihi commodius ac tutius visum est, omnino & Dionem, & Dionysium missum facere. Atque vtrique sanè responsum nostrū displicuit, cū senectutem allegarem, dicerēque eorum, quæ fierent, nihil ex pacti nostri fide atque lege fieri. Interea autem Archytas videtur ad Dionysium accessisse. Antequam enim Syracusis Athenas redirem, Dionysio & Archytam, & plerosque Tarentinos alios hospites, & amicos effeceram: Nonnullique alij tum Syracusis fuerunt, qui ex Dione quidem audierant, atque ex his quidam philosophicis disciplinis instructi & ornati, qui mihi videntur cum Dionysio de iis rebus colloqui, congregique voluisse, tanquam cum homine omnia mente

d. iij.

intelligentiâque complexo, quæ ego ipse complexus
essem. Dionysius autem alioqui neque tardus aut
hebes ad audiendum & discendum, incredibili a-
more laudis æstuabat. Itaque cùm iis delectatus esset,
quæ tum differebantur, hominẽ tamen pudebat vi-
deri nihil audiuisse, cùm ad eum profectus essem.

³⁶ Plutarchus
ait hanc caus-
sam fuisse ut
Plato renoca-
retur.

³⁶ Quare simul & magna quedam cupiditas inua-
sit eadem clarius & apertius audiendi, & honoris
ambitio quedam pupugit ac stimulavit. Quamob-
rem verò priore mea profectio non didicisset, su-
periore oratione iam antea proposuimus. Posteaquã
igitur domum saluus & incolumis redi, & iterum
accersenti me venturum (vt dictum est) negavi, tum
sanè Dionysius visus est ingenti quodam laudis a-
more captus esse, ne fortè quibusdam viderer eum
fastidire atque contemnere: cùmque naturam eius
& mores & vitam cognouissem, iis offensus ad eum
nollem præterea redire. Neque sanè æquum est ve-
rum dissimulare, sed modesto & facili animo feren-
dum est, si quis ea quæ contigerunt, intelligens,
meum in philosophia studium reprehendet, tyran-
num verò sapientem putabit. Etenim Dionysius ter-
tio ad me triremem misit, quo facilius nauigarem:
misit etiam Archedemum, quem vnum ex familia-
ribus & amicis Archita, cognouerat à me plurimi
fieri, aliòsque Siculos nobiles & claros viros, qui
mihi omnes vno ore eandem rem nuntiabant, quàm
mirificos in philosophia progressus Dionysius fecis-

set: misit verò & epistolā longam sanè & prolixam, non ignorans vel quomodo erga Dionem affectus & animatus essem, vel quæ Dionis ipsius voluntas esset, vt nauigarem, & Syracusas venirem. Ad hac enim cōposita initio epistola fuerat, cūm ita diceret, DIONYSIUS PLATONI. In quibus cum vstata illa legitimāque prefatus esset, nihil deinceps (ait) tibi prius potiùsve fuerit, quàm vt nunc suasu hortatūque nostro in Siciliam venias. Primum quidem res Dionis ita constituentur, vt ipse voles, voles autem (vt spero) honesta, & ego tibi concedam. Sin autem mihi negaueris, nihil de rebus Dionis, neque de aliis, neque de ipso fiet, quod tibi gratum sit futurum. Atque his adiecit alia prolixa, & quidem relatu importuna. Epistolas verò alias etiam frequētes accepi, & ab Archita, & cæteris Tarētinis, qui summum Dionysii in philosophia studium commemorabant, & conquerebantur, si tum venire recusarem, amicitiam sibi cum Dionysio per me conciliatam, nec ad res ciuiles exiguam, violari, & maleuolorum calumniis obiici. ³⁷ Quāobrem cūm tanto studio Dionysius vocaret & accerseret, & alij quidem ex Sicilia Italiāque quasi attraherent, alij verò Athenis maximis precibus velut expellerent, eadem iterum ratio succurrit, nō oportere Dionem deserere, neque Tarentinos hospites & amicos. Atque egomet mecum ita cogitabam, mirum nihil esse, si homo adolescens, qui ad res honestas &

Dionysii epistola ad Platonē.

37 Epilogus superioris inductionis, ubi sententia propositionis accipi potest. Quod amicis postulātibus non sit negādū.

memorabiles animum parum diligenter attendisset, solers praesertim & ingeniosus, ad amorem felicitis & beatae vitae sese applicaret: idque diligenter & explorandum, utram in partem tandem sanè propensior esset, neque vlllo modo contemnendum, neque committendum, ut re vera tanti dedecoris au-

38 Cōplexio syllogismi, quae euentu approbatur.

thor essem, si quidem ea verè dicerentur. ³⁸ Quapropter hac ratione inductus, accessi, multa metuēs, parūmque feliciter euentura prospiciens, quemadmodum post apparuit. Accessi inquam tertio vera quidem Iouis seruatoris gratia. Forte fortuna enim tum seruatus sum: atque horum post deum quidem, maximam gratiam Dionysio debeo, qui plerosque necare me paratos, quadā erga me reuerentia motus inhibuit. Cū igitur accessissem, in eo mihi periculū

39 Describit deinde quomodo vanā Dionysii aetiam deprehenderit: ex effectis argumentum ita concluditur, Qui vero philosophia amore tenetur, omnes ei gratia labores libenter subeunt, ad Dionysius nō faciebat: Non igitur vero philosophia amore tenebatur. Propositio dissimili illustratur. Hic autem veri discipuli nota quaedam & definitio est.

primò faciendum putavi, ut intelligerem, verone philosophiae velut igne, Dionysius inflammatus esset, an hic vanus quidam & falsus rumor Athenas vsque peruenisset. ³⁹ Huius autem periculi faciendi ratio quaedā est non inelegans, nec à tyrannus praesertim doctis & eruditis aliena, qua Dionysium simul atque accessi, tetavi, ac penitus exploravi. Huic itaque qui sapientiae se studiosum esse profitetur, res ipsa proponenda, & quanta est, tanta omnino demonstranda, quanta difficultates exorbenda, quanti labores subeundi. Etenim si non ficto & simulato, sed vero certoque amore sapientiae teneatur, ad eamque percipiendam diuino quodam studio rapiatur,

cùm hæc audierit, viam quandam admirabilem sibi demonstratam ad sapientiam arbitrabitur, tùmque neruis omnibus enitendum, ac secus si faciat, vitam sibi grauem & acerbam putet. Deinceps verò ubi & se & doctorem suum impensius adhortatus fuerit, nunquam conquiescet, nisi re perfecta, eaque facultate sibi comparata, ut ipse sibi nemine præeunte dux esse possit. Huc itaque omnes actiones, omnes cogitationes referens, animum philosophiæ deditum perpetuò habebit, eamque virtutis rationem tenebit, quæ & ingenium, & memoriam, & iudicium sobrietate, temperantiâque confirmabit: contrariam autem intemperantiam semper oderit. At verò qui sapientiæ studium simulant opinionibus quibusdam tantummodo colorati, eorum instar quibus corpora calore solis adusta sint, ubi considerauerint quòd res perficiendæ sint, quantæ vigiliæ suscipiendæ, quàm multiplices molestiæ deuorandæ, quæ quotidianæ vitæ temperatio moderatioque sequenda, tum rem sibi grauissimam difficilimamque rati, animo debilitati & fracti totum hoc studium abiiciunt: nonnulli verò etiam sibi persuadent, quicquid sciri percipi que possit, id se totum satis intelligere, nec præterea quicquam requirunt. Hoc nimirum est experimentum & clarissimum & certissimum, quo inertes & ignaui deprehenduntur, ne culpam ignauiæ & inertie suæ vnquam in præceptores falso conferant, sed in seipsos potius

40 *Assumptio syllogismi, qua Dionysii temeritate demonstrat, qui theologiam quandam diuulgauerat, cum tamen ea more reliquarum disciplinarum percipi non possit, & diuulganda non sit, quia plerisque partim fastu, partim spe vana copleat. Docet primo comprehendere non posse: qua disputatio antea fuit epistola secunda.* referant, cum nouerint ea se prestare non posse, quae sint ad eam rem necessaria. 40 Atque eiusmodi sane fuerunt, quae cum Dionysio tum dicta sunt. Omnia uero neque ego exposui, neque ipse postulabat. Pleraque eaque maxima se scire, ac satis firmè percipisse dictitabat, propter ea, quae ex aliis audierat. Postea uero etiam intellexi ab eo iis de rebus, quas reuera nullas audierat, sed tamen quasiam se audiuisse dicebat, quandam ipsius nomine arte scriptam esse & compositam, quod tamen certum non scio, tametsi alios quosdam horum scriptores & explicatores noui, qui ne seipsos quidem ipsi norunt.

41 *In disciplinis humanis, ut autem Platonici, disquisitio nostra parat & format mentem, in diuinis parat tantum, non etiam informat. Animum siquidem philosophia uelut humidum lignum uirtutes exciscat, per disciplinas et artes diuinae ueritatis uelut igni admouet, tum uero non philosophia, sed ignis ipse diuinus incendit.* At id meritò de iis qui adhuc scripserunt, & qui imposterum scripturi sunt, affirmare possum, quotquot aiunt tenere se, quae in his studiis praecipue consecter, siue de me, siue de aliis audisse, siue (ut dicitur) suo se Marte comperisse praedicent, ij mea quidem sententia intelligere nihil possunt: meum siquidem de his scriptum nullum extat, neque extabit unquam. 41 Neque enim ceterarum disciplinarum more explicari potest, sed assidua rei meditatione, & longa uita quasi consuetudine repente uelut ab igne 42 micante lumen in animo accenditur, accensumque à seipso, deinceps fouetur & alitur. Enim-

42 *Hic significat ideas, id est uia & sempiterna rerum exempla in diuina mente: Item formulas idearum animis nostris insitas, quae uelut emicantes oculorum radij, ideis uelut stellarum radiis illustrantur. Plato autem duo genera animalium ratione praeditorum statuebat, Deum & hominem, magna rationis & mentis similitudine coniuncta. Itaque cum uideret ab hominibus nil percipi nisi per imagines & species rerum, iudicauit in Deo simile quiddam esse, sed species illas et notitias diuinas (quas ideas dicebat) quonia Deus aternus & immutabilis esset, aternas quoque et immutabiles esse. Tum uero statuit, cum animus hominis ex illo diuinitatis fonte delibatus esset, diuinarum idearum formulas illinc hausit esse, sed*

esse, sed

vero spero, si qua fuerunt à me vel scripta vel dicta, optimè dicta esse: sin autè malè scripta quædã essent, magno equidem dolore afficerer. Ac si mihi hæc vel scribenda, vel in vulgus edenda viderentur, quid quæso præstantius à nobis in hac vita fieri possit, quàm vt hominum generi rem omniũ maximè necessariam expromeremus? naturamque ipsam rerũ in lucem proferremus, propalamque collocaremus? Verùm id tentare, hominibus cõducere nõ arbitror, nisi fortè admodum paucis, qui parua indicatione adiuti, cetera consequi per seipsos possunt. E cæteris autem id studium compleat, hos quidè arroganti fastu: illos verò spe vana & insolenti, quasi magnifica quadam & præclara didicerint. Proinde prolixior paulò & longior nostra erit oratio, vt inde lumen aliquod istis rebus possit accedere. Est enim ratio quadam constans & vera, eique penitus aduersa, qui horum quicquam ausit attingere, cuius quidem antea sæpe mentionem feci, & subinde facturus sum. Ea verò sic est. Omnibus rebus tria sunt adiuncta, per quæ sciẽtiam earum percipimus, quartum ipsa est scientia, quintum id ipsum statuendum est, quod reuera est, quòdque in scientiã cadit: quorum vnum quidem nomẽ est, alterum definitio, tertium exemplum, quartum scientia. Vno igitur in genere sic accipe, si velis, quod nunc dicimus, planius intelligere, ac de omnibus iam sic intellige. Circulus aliquid est, quod dicitur, cui id-

esse, sed corporis tenebris obscurata, tandè autè illustrari nominib⁹, definitio- nibus, exemplis, sed tenuiter & infirmè: cum & nomina & definitio- nes & exempla caduca sint, & commutabilia: plenissime verò illuminari, cum formula humana diuina idea splendore collustraretur.

Que ratio Socrate & Platonem induxit, vt æstimaret res diuinas intelligi non posse. Quod vno syllogismo hic cõcluditur.

Cum & nomen & definitio & exemplũ & scientia rei nõ conueniunt, scientia vera nõ est. At illorũ quatuor nihil planè conuenit essentia diuina: eius igitur nulla est vera scientia. Propositionis sententia primo loco exemplo circuli declaratur.

ipsum est circuli nomen, quod modò pronūtiamus: definitio verò ipsius deinde ex nominibus & verbis constans & effecta, nempe (quòd ab extremis ad medium æqualiter vndique separatur) definitio eius esto. Nomen autem, rotundum, orbis, circulus. Tertium, id exemplum, quod pingitur, deletur, tornatur, inducitur: quorum vero circulo (circa què hæc omnia versantur) nihil accidit, tanquam ab illis diuerso. Quartum, sciētia & intelligentia & vera de iis opinio.⁴³ Attamen verū illum circulum totū velut vnum quiddā statuamus necesse est, nec in verbis, nec in corporum figuris, sed in mente & intelligentia positum: vnde constat & apparet diuersum esse & ab illius picti & tornati circuli & trium reliquorum natura. Horum verò ad quintum humana mens insita quadam cognatione & similitudine proximè accedit, à cæteris magis est remota: idèmq; sanè de recta & obliqua figura, de colore, de bono & honesto, de iusto, de omni corpore, seu manufacto, seu naturali, igne, aqua, & cæteris eiusmodi, de omni animali, & animorum moribus, de actionibus, offensionibus omnibus. Neque enim quisquam in his, nisi quatuor hæc considera-uerit, quid quintum sit intelliget, atque hæc tamen (tam infirma & imbecilla est mens hominis) qualitatem quandam potius, quàm essentiam rei demonstrant.⁴⁴ Quamobrem sapiens incerta illa mentis suæ sensa nunquam referet ad hoc ipsum, quòd ne-

⁴³ Assumptio-
nis initiū, quòd
hæc quatuor ab
idea diuina dif-
ferant. primum
quia idea diui-
na sit simplex,
& humana me-
ti natura & si-
militudine pro-
xima.

⁴⁴ Secūda dif-
ferētia idea di-
uine, quòd sit
immutabilis,
nec contrario
permisita.

que caducū, neque mutabile sit, quales tamen sunt circuli, qui figuris & signis designantur. ⁴⁵ Quod verò dicitur, id rursus sic est intelligendum. Horum circulatorum, qui opere hominum manūve pinguntur & tornantur, vnusquisque aliquid habet quinto illi contrarium: vndique enim rectis lineis attingitur: at ipsum verum circulum contraria in seipso natura nulla neque parua, neque magna parte prorsus attingi confirmamus: atque nomē horum lineamentorum nulli stabile aut certum est. Quid enim prohibet, quæ rotunda nominantur, recta nominari? & quæ recta, contrà, rotunda? ac nihilo tamen certiora fore iis, qui sic transmutant, & contrarius nominibus appellant: ac potest idem de definitione dici, quæ constat ex nominibus & verbis, nihil in ea perpetuum & constans esse. Atque de quatuor omnibus quòd incerta planè sint, infinitis rationibus probari potest: imprimisque hoc vno argumento, quod paulò antè adhibuimus. ⁴⁶ Etenim cum duo sint essentia & qualitas, animusque scire desideret essentiam, nisi vnumquodque quatuor horum prius ab ipso animo & rationis iudicio & sensus auxilio diligenter exploratum discussumque sit, vt in eo quod agitur & docetur, vnumquodque clarè appareat, id sanè & ignorantia & caligine (vt breuiter dicam) omnes homines conturbat. Quando igitur in inuestigatione veri nequaquam propter prauos & corruptos mores versati & exercitati sumus, sed

⁴⁵ Antapodosis
propositæ diffe-
rentiæ, quòd ex-
emplū & no-
men & defini-
tio non ita se ha-
beant.

⁴⁶ Repetit phra-
tionē ex superio-
ribus, & ita cō-
cludit, Cum ani-
mus substantiā
rei querit, nisi
quatuor illa di-
ligenter exqui-
suerit, nihil fir-
mè cōprehēdit:
At quatuor illa
non exquirat:
Propterea nil
firmè intelligit.
Assumptiologi-
cæ oratione decla-
ratur ex causis
& adiunctis, q̄
res ipse sint dif-
ficiles, & homi-
nes plerunq̄
tardi.

hisce vulgaribus exemplis sumus contenti, nōne ridiculi sumus inter nos, dum interrogamur ab iis scilicet, qui hęc ipsa quatuor euertere disputando & argumentis refellere valeant? At vbi de quinto respondere, & id ipsum explicare cogimus, quicumque ex iis qui possunt aduersarios argumētis prauertere, disputare velit, is vincit, efficitq; vt qui vel oratione, vel scripto, vel responso exposuerit, audientium coronæ rudis & ignarus esse videatur eorum, quæ scribere aut dicere conaretur: iis qui audiunt, interdum ignorantibus non potius animum scribentis dicentisue refutari, quàm quatuor earum rerum naturam difficili quadam ratione & inuoluta teneri. Ac per hęc quatuor instituta disputatio cum modis omnibus sursum, deorsumque per partes singulas agitata fuerit, vix tandem facilis & promptæ rei scientiam bene natis & constitutis animis parit. Quod si quis & à natura malè affectus (vt naturalis in permultorum animis habitus est) & ad percipiēdas artes, & ad formādos mores fuerit, vel etiā mores ipsius iam deprauati corruptique fuerint, ne

47 vide Eras-
mum in pro-
verbio, Lynceo per-
spicacior. quod
indenatum est,
quia vidit Lyn-
ceus eodem die
nouissimā lunā
in ariete, aut
quod metallorū
fodinas inuene-
rit. ⁴⁷ Lynceus quidem vel oculos si donaret suos, pos-
sit efficere, vt ipse videat: denique nec acumen inge-
nij, nec memoriæ vis vlla faciet vnquam, vt talis
animus intelligat. Nec enim vel tantillum quidem
in alieno naturæ habitu, & tanquam solo seri na-
scive potest. Itaque quicumque ad iusta & honesta
cætera, per se ac sua natura propensi natiq; non

sunt (alij enim alia facilius animo memoriâque cõ-
 plectuntur) neque omnino qui huc nati quidem &
 propensi sunt, sed hebetes & memoria rudi, neutri
 inquam horum (quantum mens hominis capere po-
 test) tantam vel virtutis, vel vitij rationem & ve-
 ritatem percipient: simul enim & falsitas totius es-
 sentie magna exercitatione & assidua longâque
 temporis experientia & usu perdiscenda est, quem-
 admodum initio docui: ac vbi mutua meditatione
 & concertatione velut attrita, & nomina, & de-
 finitiones, & oculis, reliquisque sensibus exempla
 percepta, & honestis minimèque turbulentis alter-
 cationibus, sine invidia modestis & interrogationi-
 bus & responsionibus disputata fuerint, vix tan-
 dem in singulis & prudentia & intelligentia pro-
 mentis humana captu affulserit. ⁴⁸ Quamobrem sa-
 pientissimus & gravissimus quisque à seriis & graui-
 bus negotiis explicandis & scribendis abhorret plu-
 rimum, neque facile hominum invidia & temeri-
 tati se suâque scripta committit. In summa verò id
 teneatur, vbi quis alterius scripta viderit, vel in le-
 gibus legumlatoris, vel in aliis studiis quæcunque
 fuerint, hæc ab illo non seriò admodum elaborata
 fuisse: siquidè vir ipse bene consideratus, moratúsque
 fuerit, cum hæc pulcherrimum rerum, quas habeat,
 locum teneant, pretiosissimâque sint. Quod si de in-
 dustria tractata, studioque literis ab eo prodita fue-
 rint, ei sanè non dii quidem, sed certè homines men-

⁴⁸ Concludit à
 sapientibus nihil
 de re gravi scri-
 bi, aut si quid
 scribatur, id nõ
 seriò agi. Tale
 quiddam epistola
 secunda fuit.

e. i.

49 Concludit tan-
de Dionysii tes-
meritatē, & a-
lias causas, ad-
dit ambitionem
& ignorantiam.

tem eripuerunt. 49 Quare qui hanc orationem di-
gressiónemque sequetur, facile percipiet, siue Dio-
nysius, siue aliquis eo vel minor vel maior aliquid
de prima summáque natura scripserit, nihil eum, meo
quidem iudicio, nec audiuisse, nec didicisse sanum &
integrum de iis, quæ scripserit. Meo enim more at-
que exemplo veneratus hæc esset, neque tam absur-
dè, tamque temerè diuulgare ausus esset, neque enim
commentarium ad memoriæ subsidium sibi conficere
voluit: neque sanè metuendum, ne id excidat, aut
elabatur, si semel animo comprehensum fuerit: om-
nium siquidem facillimè tenetur. Verùm turpi am-
bitione stimulatus, siue quòd id sibi vendicaret, siue
quòd doctrinæ & sapientiæ (qua tamen indignus
erat) gloriam ex nostra communicatione profectam
consectaretur. Si igitur vna nostra congressione &
collocutione id accidere Dionysio potuit, id illi for-
san quod egit, concedendū, condonandūque fuerit.
Verùm id nouerit Iupiter (vt ait Thebanus) semel
enim duntaxat, vt iam dictum est, exposui, præter-
ea deinde nunquam. Siquis autem scire fortè cupiat,
quid hîc & quomodo contigerit, quamobrem non
iterum ac sæpius exposuerim, id eum quidem animo
perpendere necesse est, an Dionysius cùm hæc tan-
tummodo semel audisset, ita se & scire, & tam lu-
culenter scire existimaret, siue per se hæc inuenisset,
siue antea didicisset ab aliis, an vana & inania quæ
à me docerentur, an potius tertium quiddam fuit,

110

8 2

quod hæc minimè suæ facultatis esse, sed ingenij sui viribus maiora atque altiora putaret, quasi sapientiam in vita & virtutem colere non posset. Nam si vana & inania esse existimet, multis sanè testibus repugnabit, qui fidei maioris & authoritatis, quàm ipse sit, contra iudices erunt.⁵⁰ Siue igitur per se inuenerit, siue aliunde didicerit, dignaque statuerit, quibus animus liberaliter & ingenuè formetur & instituatur, annon mirificus hic homo fuerit, qui doctrinæ huius magistrum & authorem tam facile tandem contempserit? Quomodo verò contempserit, iam inde licet cognoscere. Paucis diebus postea quàm venissem, interiectis (quanuis antea Dionem res sibi suas habere, & facultatum suarum fructus capere sineret) tum tamen ad eum per procuratores in Peloponnesum mitti vetuit, velut epistola suæ iam penitus oblitus. Hæc enim pertinere non ad Dionem, sed ad Dionis filium sibi ex sorore nepotem, & ex legibus tutelæ suæ commissum. Atque hæc eo quidem tempore adhuc acta sunt: quæ cum ita se haberent, attentè considerabam, quomodo erga philosophiam Dionysius affectus esset, ac non commoueri certè non poteram. Iam enim tum ætas erat, & summa traiiciendi facultas suppeditabat: attamen nequaquã Dionysio succensendi iusta ratio videbatur, sed mihi met ipsi potius, & iis qui me tertio in Scyllæ fretum coniecerant, ut pestiferam & exitialem Charrybdim denuò subirem. Dionysio autem denuntiaui

e. ij.

⁵⁰ Addit superioribus argumentis ex efficientibus argumentum, Si Dionysius hoc studiū seipso dignum putasset, nõ contempserit eius studij magistrum Platonem: Contempserit autem: Propterea nihil studium illud fecit. In assumptionis probatione ex factis Dionysii reliqua epistola ferè cõsumitur, quomodo Dionysius perfidiose Dionem, Platonem, Heraclidem tractarit.

mibi omnino difficillimum esse, vt Dione tam contumeliose tractato in Sicilia manerem. Verum ipse me verbis placare & lenire satagebat, videbatque sibi turpe futurum, si tam citò rerum earum nuntius Athenas reuertissem. Vbi autem nihil persuasit, se præstaturum recipit, qui me domum reducerent: vectoriis enim nauigijs traicere cogitabã offensus & indignatus, atque ita animo comparatus, vt si prohiberet, quiduis ferrem potius atque tolerarem, præsertim cum in eo iniuriam nemini facerem, sed ipse paterer ac sustinerem. ⁵¹ Itaque cum me in discessu tam vehementer obstinatum atque offirmatum videret, ad impediendam & retardandam profectiõnem meam, talem quandam artem machinatur. Postridie me subdola & ad persuadendum composita oratione aggreditur. Age (inquit) Dionem, Dionisque res missas faciamus, quæ nihil nisi dissidium inter nos & discordiam alunt. Enimvero Dioni tua gratia hæc faciam: permitto vt facultatibus suis acceptis in Peloponnesso habitet, non quidem vt exul, sed vt is, cui liceat huc accedere, quando & illi, & mihi, & vobis amicis communiter videbitur. Et hæc quidem ea lege concedo, ne quas insidias interim machinetur, atque fæderis huius sponsores & authores esse & te, & tuos amicos, & Dionis (qui hîc sunt) necessarios volo. Idque Dio confirmet se sanctè & religiose seruaturum. Pecuniæ autem (quas acceperit) in Pelopon-

⁵¹ Dionysii do-
lus ad retinendũ
Platonẽ, qualis
penè fuit paulò
antè in secunda
profectiõne.

nesso, aut Athenis apud quos commodum vobis erit, deponantur, earumque fructibus Dio utatur, nec possit tamen nisi de consilij vestri sententia tollere.

Ego enim illi nihil admodum confido, quin pecunia eius instrumento, aliquam nobis iniuriam moliatur, nec enim exigua est. In te verò, tuisque amicis maiorem fidem, spemque statuo. Quare vide & considera, an hac tibi probentur, & mecum his conditionibus annum mane: tum autem vertente anno sumptis his pecuniis proficiscere. Et quidem certò scio Dionem magnas tibi gratias habiturum, cum hæc eius nomine confeceris. Hac igitur oratione audita, graviter affectus perculsusque sum: attamen respondi me postridie capto consilio quæ visa essent, renuntiaturum: atque ita inter nos convenit. ⁵² Post-

ea verò mecum, valde perturbatus, deliberabam: primaque consilij ratio ea mihi ante omnia succurrebat. Age inquam, quid si Dionysius nihil eorum quæ ostentat, præstare cogitet, & tamen post meum discessum & per se, & per alios amicos Dioni nõ sine aliqua quidem veri specie scribat, ea quæ mihi proponit, quasi ipse quidem voluerit, ego verò noluerim hæc ipsa, ad quæ me inuitaret, efficere, sed eius res omnino contempserim? Quid si verò etiam me nolit omnino hinc abire, nauicularioque nemini id imperet, sed omnibus potius, vel minimo signo nutu ve indicet, id sibi non placere, an verò fuerit vllus nauta, qui me discedentem de Dionysii re-

e. iij.

⁵² Deliberatio
Platonis in v-
tramque partem
& non manendi
& manendi.
Prior pars di-
sputatur ex ad-
iunctis & causis.
Viderer Dionem
despexisse, etsi
velim Dionysio
inuito, tamē ab-
ire non possim.

gia velite educere? Ad ceteras enim molestias etiam hæc accedebat, quòd in hortis ipsi regie coniunctis habitabam, vnde ne ianitor quidem me dimittere voluerit, nisi id illi Dionysius mandauerit.⁵³ At si annum remansero, hæc Dioni significare poterò: & vbi sim, & quid agam, & si quid fortè Dionysius eorum, quæ pollicetur, effecerit, non omnino operam perdidero. Facultates enim Dionis si quis rectè aestimauerit, non paucioribus fortasse talentis, quàm centum censebuntur. Si verò hæc fiant, quorum principia quædam iam apparent, quæque verisimile est euentura esse, equidem quid me faciã nescio.⁵⁴ At tamen necesse est fortasse vt annum toleremus, & re ipsa Dionysii fraudes refutare contendamus. Hæc igitur quæ mihi visa tum essent, postridie Dionysio renuntiaui, mihi que vt manerem, decretum esse dixi. Veruntamen, inquam, nolim me Dionis dominum existimes, sed mecum potius literas testes harum rerum ad Dionem scribito, & quære an hæc illi satisfaciant, necne, an alia præterea postulet & expetat, & hæc quamprimum poteris, significato. Tu verò interea nihil in rebus Dionis innoues aut immutes. Hæc tum dicta sunt, & vt dicta, ita pacta ferè & constituta sunt.⁵⁵ Interea autem naues soluerant, nec vlla nauigandi potestas reliqua erat, quando Dionysius velut aliquid omissum recordatus, ita mecum loqui incæpit, alteram bonorum partem Dioni, alteram filio attribuendam esse, se au-

⁵³ Secūda pars
deliberationis
de manendo ex
adiunctis & cō-
trariis tracta-
tur.

⁵⁴ Cōclusio de-
liberationis.

⁵⁵ ostēdit Dio-
nysii perfidiam
in re Dionis.

tem venditurum, dimidiūmque mihi ad Dionem traditurum, dimidium filio eius reseruaturum: id enim iustissimum videri. Qua oratione vehementer percussus & commotus, ridiculum putavi his de rebus præterea verbum vllum facere: tamen respondi Dionis epistolam nobis expectandam esse, & hæc ipsa rursus ei denuntianda. At Dionysius repente valde quidem insolenter omnia Dionis bona pro libidine vendidit, & quomodo & quibus ei commodum fuit: nihil autem ad me retulit, nec ego de Dionis negotiis vllum apud eum verbum feci, quando quidem me nihil profuturum viderem. Hactenus igitur & philosophiæ & amicis opem auxiliūmque attuli: postea cum Dionysio vixi velut auium quidem instar in caueas inclusarum respiciens extra, & alicunde cupiens euolare. Dionysius autem machinabatur quomodo nullis Dionis bonis restitutis me detineret: nos tamē per vniuersam Siciliam, mutuam quandam beneuolentiam præ nobis ferebamus.

⁵⁶ Ecce autem magnus motus, cum Dionysius veteranis stipendia contra morem Dionysii patris minuere vellet, milites enim commoti conueniunt, & id se passuros esse negant. Itaque cum portas arcis clauderet, & eos coërcere vellet, ad muros barbarum quendam & bellicum clamorem vociferantes ruunt ac feruntur: quo Dionysius conterritus, militibus omnia concessit, ac maiora etiam quàm vellent. Rumor autem mox increbuit Heraclidem horum om-

⁵⁶ Narrat quædammodū Heraclides (qui tum in aula Dionysii plurimū poterat) reiectus sit, & hac occasione Dionysius Platoni offensus fuerit.

e. iij.

nium authorem fuisse. Quæ cum Heraclides accepisset, seipsum procul occultavit. Dionysius autem comprehendere cupiebat: quod cum non posset, Theodotem euocavit in hortos, in quibus tum fortè inambulans adfui, nec cetera tamen illa cognoui, nec eorum sermones audiui: quæ tamen coram me, cum Dionysio Theodotes tum locutus est, ea novi & memini. Enimvero (inquit) ô Plato Dionysium rogebam, ut Heraclidem huc adducerem, de que criminibus his causam diceret ac se defenderet: si verò patria videatur expellendus, oro tamen ut uxore & liberis assumptis in Peloponnesum commigrare, ibique quod sine Dionysii detrimento fiat, habitare, & rerum suarum fructus capere liceat: vocavi autem ipsum iam prius, & iterum modò vocare statui: siue igitur ad primum illud, siue ad hoc præsens mandatum venerit, Dionysium rogo, & oro ut si quis in Heraclidem inciderit, vel in vrbe, vel in agro, ne quid acerbius pati cogatur: sed potius à patria tantisper secedat, dum aliud quidpiam Dionysio videatur. Hæc (inquit Dionysium intuens) nonne concedis? Concedo (respondit) & promitto etiã, si domi tuæ palàm fuerit, detrimenti nihil esse passurum, contra ea quæ modò polliceor. Postridie autem ad vespërã Euribius & Theodotes præproperè ad me accesserunt vehementer conturbati: ac Theodotes ait, O Plato adfuisti heri rebus his, quas nobis Dionysius de Heraclide cõcesserat? Quidni? (inquam) At nũc

(inquit ille) armati concursant ad Heraclidem comprehendendum: ipse autem hic alicubi videtur esse.

At nos (inquit) omni diligentia ad Dionysium sequere. Ad eum igitur venimus & accessimus: ac cum illi quidem taciti & collachrymantes astitissent, tum, inquam, ⁵⁷ Hi, ô Dionysi, verentur ne quid novi contra ea, quæ hesternò die promisisti, aduersus Heraclidem facias: videtur enim digressus, hic alicubi palàm adesse. At Dionysius hæc audiens, vehementer exarsit, & in varios colores mutatus est, quales in præsentì iracundia solent existere. Theodotes autem ad Dionysii pedes prolapsus, comprehensa manu plorabat, & orabat ne quid eiusmodi committeret: atque ego precibus eius subseruiens, bono (inquam) animo es Theodote. ⁵⁸ Nec enim Dionysius ausit contra fidem hesternò die datam facere. Tum verò ille me toruè & tyrannico vultu intuens, ⁵⁹ tibi (inquit) nihil omnino quicquam promisi. Imò verò, inquam, tu per deos, hæc promisisti, quæ ne facias, hic nunc te deprecatur. Quæ cum dixissem, ab eo digressus foras abiit: deinde verò Heraclidem comprehendere conabatur, sed Theodotes nuntiis præmissis admonuit, vt sibi fuga salutem quæreret, cum Dionysius Tisiam & armatos fugientem insequi iussisset. Heraclides autem vt erat admonitus, anteuertit, & exiguo diei interuallo in Carthaginensium ditionem peruenit. ⁶⁰ Postea verò Dionysii vetus & veterana captatio, ne res suas Dioni redderet, proba-

⁵⁷ Refutatur liber à Platone Dionysii perfidia hoc syllogismo, Nō est cōtra promissa faciendum, Promisit Dionysius Heraclidē nil passurum mali: Sic igitur fiat.

Quæstio præcedit cum assumptione.

⁵⁸ Propositionis sententia.

⁵⁹ Inficiatur Dionysii assumptione. Plato iureiurando confirmat.

⁶⁰ Demonstratur deinceps offensionis occasio aduersus Dionem & Platonem.

bilem odij erga me caussam naeta est: atque impri-
 mis ex arce me emisit hac occasione inuenta: quod
 mulieres sacrum decem dierum in hortis in quibus
 tum habitabam, factura essent. Eo itaque tempore
 apud Archedemum manere me iussit: quo ex loco
 Theodotes me accersit, multa que de temporibus illis,
 deque Dionysio stomachatus est & conquestus. At
 cum Dionysius hac persensisset, aliam nouam prio-
 ris non dissimilem caussam odij erga me querens, per
 internuntios rogat, nunquid ad Theodotem ex eius
 mandato venissem, cum eoque congressus & collocutus
 essem. Ego vero (inquam) prorsus. Dionysius igitur
 (ait) iussit, ut nuntiarem te non honeste facere, qui
 Dionem & Dionis amicos pluris quam ipsum fa-
 cias. Hac tum dicta sunt, neque postea me Diony-
 sius domum aduocauit, quasi iam luce ac palam Theo-
 dotis & Heraclidis reuera amicus, Dionysii autem
 inimicus essem: nec praeterea ullam mihi secum ami-
 citiam putauit esse, quod bona Dionis hoc modo di-
 lapidata & dissipata essent. ⁶¹ Mansi autem dein-
 cept extra arcem inter milites: quo tempore acce-
 dentes ad me praeter alios in me officiosi etiam Athe-
 nienses quidam ciues mei, significarunt, quibus calum-
 niis apud milites obiectus essem, & eorum quosdam
 mihi minitari, ac sicubi deprehenderent, interfectu-
 ros esse. Salutis tamen viam quandam reperi: Scribo
 ad Architam & ceteros Tarentinos amicos, & de-
 monstro quibus in periculis constitutus sim. Illi vero

⁶¹ Illic habita-
 re Platonem ius-
 serat Dionysius,
 ut a militibus
 interficeretur.
 Plutarchus.
 Hoc autem pe-
 riculo per Ar-
 chitam Tarenti-
 num liberatus
 est.

legationis specie, nomine suæ ciuitatis susceptæ, triginta remorum nauem expediunt, & de suo numero vnũ Lamiscum legant, qui cùm Syracusas appulisset, Dionysium deprecatur, vt me dimitteret, nec secus omnino faceret. His verò precibus Dionysius assensit, & facta abeundi copia viaticum etiam præbuit. De bonis autem Dionis nec ego quicquam postulauit, neque quisquã dedit. ⁶² Quare cùm in Peloponnesum venissem, ibique apud Olympiam Dionem olympicos ludos spectantem offendissem, exposui quæ facta essent. Ille verò Iouem testatus, simul edixit & mihi & meis amicis vt excitaremur ad pænas à Dionysio repetendum, & quòd hospitalitatem nostram violasset (sic enim & dicebat & sentiebat) & quòd ipsum tam iniuste patria & expulisset & priuasset. Quæ cùm audissem monui, vt amicos quidem alios ad hoc bellum si velint, aduocaret. At tu me, inquam, vnà cum aliis pene vi Dionysio sodalem, familiarem, sacrorum participem effecisti, qui quauis multorum calumniis inductus me tecum & sibi, & tyrannidi suæ insidiari fortasse suspicaretur, attamen non occidit, sed reuerentia quadam motus seruauit: nec ea sum ætate, vt militia socium me cuiquam præstare queam: ac si quando boni alicuius gratia reconciliatione vobis opus sit, communis & intervtrunque medius quasi pacificator esse possim: mala verò quandiu cogitabitis, alios ministros aduocate. Hac ita loquutus sum, cùm me Siciliensis & er-

⁶² Contexit historiam de Dionis, cum quo arma aduersus Dionysium suscipere noluit, quia Dionysio hospes fuisset, & quia iam ætate grauis esset: paulò post enim obiit, nec Dionysium exulem vidit.

63 Repetitur
mala hec om-
nia contigisse
Dionysio, quia
Platoni ipsi nõ
paruisset, & id
erat quod initio
dixit Plato, se
tollẽde tyrã-
dis initium fuisse.

64 Commendat
Dionem ad ex-
tremum, & bo-
num principem
fuisse demon-
strat, quod etiã
contrario decla-
ratur.

roris & fortunæ valde taderet, vehementerque pæ-
niteret. ⁶³ Quamobrem quia meis consiliis obsecuti
non sunt, has calamitates (quas videtur) excitarunt:
quarum, si Dionysius Dioni facultates suas reddidisset,
aut etiam omnino ei recõciliatus esset, nihil (quod
humana quidem coniectura prouideri potest) unquam
contigisset. Dionem enim pro mea & voluntate &
authoritate facile continuissem. Nunc verò alter in
alterum ruentes omnia clade & miseria conturba-
runt. ⁶⁴ Quanquam eo consilio animoque Dion fuit,
quo & me & alium quemuis dixerim esse oportere,
qui sua & amicorum ciuitatis suæ potentia mode-
ratè usus in animo habeat beneficis in patriam &
meritis ad potentiam & gloriam maximam per-
uenire: non autem qui inops & egens, & vix sui
compos, libidini & vètri turpiter & ignauiter inser-
uiens coacta latronum manu seipsum & socios &
ciuitatem per scelus & fraudem locupletet, qui que
locupletum (quos velut hostes contrucidarit) fortunas
rapiat, & maleficiorum suorum socios & populares
moneat vt sese diuitiis expleant: neque de ipso con-
querantur, si posthac egeant: itémque si quis ciuita-
tem suam amplificans ab ea propterea colatur, quòd
in famelicam plebeculam paucorum copias suis de-
cretis profundat: atque cum magna præfectus sit vr-
bi, ac multis minoribus oppidis imperati, ab inferio-
ribus ciuitatibus rapiat, vt potentiore iniquè largia-
tur. Hoc enim pacto neque Dion, neque probus prin-

ceps quispiam ad potentiam & sibi & posteritati
sua in perpetuum exitiosam contendit, sed ad Rem-
pub. & iustissimarum atque honestissimarum legum
lationem sine cædibus & exiliis accedit. ⁶⁵ Quod
institutum cum Dio sequeretur, constitueretque po-
tius acerbis iniurias capere, quàm facere, caueret au-
tem id ne accideret, cum ad extremam penè de ho-
stibus victoriam palmamque peruenisset, in fraudem
nullo quidem nouo & inusitato exemplo incidit.

⁶⁵ Excusat ca-
lamitatē Dio-
ni, quod vir bo-
nus & sapiens
aliquando fal-
latur, quod ex-
plicatur simili-
tudine guberna-
toris.

Vir enim sanctus, & temperans, & sapiens à nefa-
riis totum quidem animo sententiâque nunquam fal-
litur, sed certè (quod mirum videri non possit) instar
boni gubernatoris parte aliqua fortasse decipitur.

Gubernatorè siquidem futura tempestas omnino ne-
quaquam lateat, tempestatis autem inusitata & im-
prouisa quædam magnitudo fortasse lateat, suâque
vi deceptum obruat. ⁶⁶ Sic sanè Dion falsus & in-
ductus est: nec enim eos improbos esse nesciebat, à
quibus proditus est: tantam verò immanitatem,
tantum scelus, tam profundam libidinem certè ne-
sciebat, quibus circumuentus, Siciliae incredibilem

⁶⁶ Redditio sim-
ilitudinis.

mærorem & luctum attulit. ⁶⁷ Quod igitur vobis
consulere queam, his ita descriptis abunde vobis ex-
positum esse arbitror. Quare autem secunda in Sici-
liam profectio sit à nobis repetita, dicendum mihi ne-
cessariò fuisse existimo, cum res tam absurdæ, tamque
importunæ contigerint. Quamobrem si cui fortè hæc
oratio consentanea, & legitimis de causis propter

⁶⁷ Concludit
consiliū de Re-
pub. satis adhuc
descriptum esse,
& causam red-
dit postremæ
pfectiois tam
longa oratione
repetita.

eiusmodi casus instituta videatur, satis quidem factum nobis superque fuerit.

ARGVMENTVM.

HÆC epistola questionem ex superiore deductam habet. Adhortatur enim Syracusanos ad optimum ciuitatis statum, ut leges communes omnium constituent: reges tres, Hipparinos duos, & Dionysium Dionysii filium, legibus tamē illis subditos faciant: item legumlatores triginta quinque viros optimos deligant, qui cum aliis etiam controuersias ciuium disceptent. Summa autem in hoc syllogismo est, Consilium est optimum quod amicis & inimicis prodest, aut utrisque nocet minimum:

Platonis presens consilium tale est:

Optimum igitur. Sententia autem insignes hæ sunt, Lex regina sit hominū, non homines tyranni legū: tyrannis est famelicorū & stultorū fœlicitas: Deus sapientibus est lex, insipientibus voluptas.

Plato Dionis propinquus

& amicis bene agere.

Epist. 8.

1 Assumptio syllogismi initio est quod consilium Platonis sit amicus & inimicis profuturum.

2 Significat Dionis interfectores & eorum similes.

3 Preponit propositioni duas exornationes, alteram ex subiectis rebus, alteram ex dissimilibus, quæ euentorum exemplis approbatur.



QUAE¹ verò præcipuè sequi vos deceat, ut fortunati beatique uiuatis, ea sanè vobis pro viribus exponere contendam, ac spero me salutaria cōsulturum nō solūm vobis, tamē si præsertim vobis, sed etiam deinde Syracusanis omnibus, tum verò inimicis & hostibus vestris, nisi quis eorum fortè nefarius & impius fuerit: horum siquidem vitiorum morbi sunt insanabiles, nec vnquam à quoquam sanabuntur.³ Animaduertite autem quæ nunc dicam. Tyrannide per vniuersam Si-

ciliam sublata, omni studio vobis hîc est enitendum
 & incumbendum: aliis quidem ad tyrannidem re-
 cuperandam intentis, aliis autem ad eandem fundi-
 tus euellendam & abolendam. Consilium verò iis in
 rebus vulgò passim probari solet, vt ea sequenda vi-
 deantur, quæ inimicis obsint plurimum, amicis pluri-
 mum profint. At fieri nullo modo potest, vt qui mul-
 ta aliis incommoda afferat, non alia vicissim ipse de-
 trimenta patiatur. Ac ne longè abeamus, vt hæc
 apertè & perspicuè videamus, considerari quidem
 possunt quæcunque acciderunt istic apud Siciliam,
 dum alij aliis iniurias inferre, illatas alij propulsare
 & vindicare cupiunt, quæ etiam vos ipsi aliis com-
 memorantes, idonei vbique monitores & magistri
 sanè fueritis: illa siquidem prompta & facilia sunt.

⁴ At videre quæ omnibus, inimicis pariter & ami-
 cis conducant, aut quamminimum vtrisque noceant,
 neque promptum, neque facile est, neque etiam cum
 videris, exequi. Voti siquidem similis est ea consul-
 tatio, eiusque rationis explicatio. Sancto itaque voto
 aliquo id precemur & optemus: à diis enim necesse
 est omnium & dictorum & consiliorum initia pro-
 ficisci: votum autem hoc redditum ac persolutum ta-
 lem quandam rationem nobis explicabit. Vobis com-
 muniter & vestris hostibus (quandiu bellum fuit) vna
 ferè familia semper imperavit, cui patres vestri in
 summam difficultatem lapsi, imperium detulerunt,
 quo tempore extremū periculum fuit, ne Sicilia (quæ

⁴ Propositio syl-
 logismi, de opti-
 mo consilio, quæ
 temporum illo-
 rum euentis dis-
 similibus exor-
 natur, quòd af-
 flicti tyrāni a-
 lios affligant.
 Considera autē
 vt Plato ad pie-
 tatem diuinam
 semper excitet,
 vt illi auxiliū
 petatur.

à Gracis incolebatur) vexata & vastata tota à Barbaris occuparetur. Tum igitur ad salutē Siciliae delectus est imperator Dionysius adolescens & bellicosus, & ad bellicas artes ipsi conuenientes idoneus: consiliarius autem senior Hipparinus est additus: & auctoritate summa præditi, tyranni (vt aiunt) appellati sunt. Siue quis igitur diuinam quandam fortunam ac deum, siue principum virtutem, siue simul vtrunque cum ciuibus qui tum fuerant, salutis causam existimet fuisse, esto sanè vt existimat: negari tamen non potest, eos qui tum fuerunt, salutis auctores extitisse. Quæ cum ita sint, equū sanè est omnes seruatoribus suis gratias habere. Si quid autem postea tyranni munere ciuitatis intemperanter abusi

⁵ Dionysius tum apud Locenses exulabat, vt Justinus lib. 21.

⁶ Proponit de nudo casus præsentiu temporū ad eandem propositionis rationem.

sunt, ⁵ pœnas quidem alias persoluunt, alias verò etiam persoluant. Quænam igitur iustæ pœnæ pro rerum præsentium statu necessariò his imponerentur?

⁶ Nam siue ipsos effugere, ac sine magnis & periculis & laboribus euitare possent, siue illi facile rursus imperium recuperare possent, nequaquam ea vobis, quæ modò dicturi sumus, suadere possemus. Quare vtrisque vestrum cogitare ac meminisse necesse est, non solum quoties vtrique in ea spe fuistis, vt putaretis abesse minimum, quin pro voto sententiæque omnia gereretur, sed etiam illud minimū, magnorum & variorum malorū assiduè causam extitisse, neque finem vnquam his miseriis imponi, sed veterum & antecedentium malorum (qui sperari posset) ter-

minum, cum nouorum & consequentium principio continuari & coniungi. Quinetiam metuendum est, ne & tyrannicum, & populare genus hac rerum varietate & mutatione prorsus intereat. Etenim siquid eorum quæ imminent, quæque formidanda fugiendæque sunt, euenerit, tota penè Sicilia, græca voce atque oratione priuata & orbata in Phænicum & Opicorum ditionem dominationemque veniet. Ad huius itaque calamitatis subsidium Græcos omnes certatim concurrere conuenit. Ac si quis utilius aliquid & melius eo consilio (quod sum dicturus) habeat, in mediūque proferat, Græcorum studiosus optimo iure dicetur. ⁷ Quid autem mihi videatur, equidem liberrimè, & communi quadam ac iusta ratione fretus, conabor exponere. Instar igitur arbitri cuiusdam consulo duobus tyrannidem, huic quidem exercenti, illi verò perferenti, idemque quod antea consueui, communiter precipio: ac mea nunc oratio tyrannos omnes adhortatur, ut eiusmodi & nomen & opus fugiant, & ad regiam dignitatem, si fieri possit, sese conuertant. Fieri verò posse re ipsa docuit sapiens vir & probus Lycurgus, qui cum vidisset propinquos suos Argis & Messenæ, ex regibus tyrannos factos esse, seque ipsos & suam utrosque ciuitatem mutuis cladibus perdere, suæ ciuitati pariter & familiæ metuens, his malis remedium adhibuit, creato Senatu & Ephorum magistratu, quæ regie potestatis salus & conseruatio fuit, ut tot iam seculorum ætates gloriosa floreat, posteaquã lex ho-

⁷ Redit ad assumptionem syllogismi, quæ prius quam exponatur, deliberationis forma inducitur, qua primum tyrannos hortatur, ut tyrannidem deponant, & reges subiecti legibus esse velint: quod simili exemplo Lycurgi explicatur hoc modo, Si fieri possit, mutetur tyrannus in regnum: At fieri potest ut docuit Lycurgus: Mutetur igitur in regnum.

8 Complexio syllogismi, aucta tyrannidis descriptione.

9 Altera pars deliberationis, qua deterret subditos ab immoderata licentia, & simile maiorum exemplum proponit.

10 Instituit ad assumptionis expositionem pro populi ad finem epistolae, qua Dionem licet mortuum, tamen cum ciuibus suis loquentem, & de componendo ciuitatis statu precipientem facit, quales & leges & reges & legulatores & iudices esse debeat.

minum regina cæpit esse, non homines tyranni legum. ⁸ Ad hoc itaque omnes qui tyrannidem appetunt, mea cohortatur oratio, vt hanc famelicorum & amentium hominum beatitudinem omnibus modis declinent ac fugiant, & ad regie dignitatis speciem potius omni studio sese transferant, ac legibus pareant, vt amplissimos honores non modò volentibus, sed etiam gaudētibus & hominibus & legibus assequantur. ⁹ Qui autem liberè viuere cupiunt, & seruitutis iugum, tanquam magnum aliquod malum fugiunt, eis suaserim vt caueant, nequando insatiabili importunæ libertatis auiditate in maiorum suorum morbum incidant, in quem nimia licentia, & immoderato libertatis amore illi quondam inciderunt. Qui enim ante Dionysium & Hipparinū in Sicilia imperium tenuerunt, tum libidinum illecebris dissoluti, & imperantibus imperantes suo iudicio beatè viuebant, qui etiam decem præfectos ante Dionysii tempora nulla lege lapidibus obruerunt, vt nemini parerent, sed sine iure, sine lege dissolutè ac pro libidine viuerent, vnde tyrannis apud illos orta est. Seruitus enim ac libertas immoderata quidem pessima res est, moderata verò res optima. Moderata autem seruitus est, cum Deo seruitur: immoderata, cum hominibus. Deus enim sapientibus est lex, stultis autem voluptas. ¹⁰ Quæ cum ita sint, Dionis amicis suadeo, vt omnibus Syracusanis consilia mea proponant, quæ mihi cum Dione communia sunt. Enimuero nūc ea vobis exponam, quæ ille viuus &

valens dixerit. Quid igitur (dicet aliquis) aut quomodo de rerum presentium statu Dion viuus locutus est? Sic sanè quomodo etiam loquentem iam licet audire. Accipite, inquit, ô Syracusani ante omnia leges, quæ videantur nō ad opes & diuitias animos vestros incitare.¹¹ Sed cūm tria sint, animus, corpus, diuitiæ, primaque sit animi cura, secunda corporis, animi tamen studio subiecta, tertia & postrema diuitiarum animi corporisque seruitio & ministerio addicta, quæ institutio ad hanc disciplinam animos informet, meritò lex ea vobis probetur & laudetur, quoniam re vera fælices & beatos sui cultores efficiat. Quæ autem sententia locupletes & opulentos appellat beatos, ea ipsa & misera, & muliebris, & puerilis, & insana planè est, eique assentientes, similes efficit: vera autem hæc esse si experti fueritis, quæ de legibus moneo, re ipsa cognoscetis, quæ probatio omnibus de rebus videtur esse certissima atque verissima.¹² Quare acceptis huiusmodi legibus, cūm in magno periculo Sicilia versetur, neque vos valde superatis, neque valde superamini, æquum fortasse & commodum vobis omnibus fuerit, medium quendam cursum tenere, & vobis dominationis acerbiter fugientibus: & illis vicissim imperium recuperare cupientibus, quorum maiores (quod maximum videri necesse est) Græcos à barbaris vindicarunt, ita vt nunc liceat illorū beneficio de Republica consultare. Quod si tum victi essent, nulla omnino neque deliberatio, neque spes relinqueretur. Quapropter aliis

f. ij.

¹¹ Optima leges quæ comendant imprimis animi bona, & ad ea corporis & fortuna instrumenta referunt. quod dissimili declaratur.

¹² Descriptis ad huc legibus, tres deinde reges describit.

^a Pietas Platonis.

¹³ Primus rex Hipparinus Dionis filius.

¹⁴ Secundus rex Hipparinus filius Hipparini, de quo antea hac epistola.

¹⁵ Tertius rex Dionysius Dionysii secundi filius.

quidem libertas, sed regia potestati subdita esto: aliis autem regia potestas, sed uti ratio muneris sui reddenda sit (cum leges imperent non solum civibus aliis, sed etiam regibus ipsis) si quid iniquè egerint: tum verò sedulo & integro animo ^a diis bene fauentibus regem create, ¹³ primum quidem filium meum gratia duplici, & mea & mei patris. Ille enim à Barbaris tum patriam liberavit: ego autem bis à tyrannis servavi, quorum vos quidem mihi testes estis. ¹⁴ Secundum autem regem facite, eum qui idem quod pater meus, nomen habet, Dionysii filium & presentis auxiliij, & pietatis gratia, qui quanvis patre tyranno genitus, lubens tamen civitatem conseruet, honorèmq; sibi & generi pro caduca & iniusta tyrannide sempiternum comparet: ¹⁵ Tertium verò Syracusarum regem creari necesse est lubentem quidem, & lubente civitate, presentem exercitus hostium ducem Dionysium Dionysii filium, si fortè regie potestatis moderationem velit subire, incertòsque fortuna casus considerare, patriamque afflictam, & sacra sepulchràque violata respicere, ne ambitione & cupiditate omnia omnino disperdat atque dissipet, Barbaris scilicet & hostibus id gratificatus. Tres itaque reges siue his Laconicam potentiam concedatis, siue quid auferatis, vna mente sententiàque communi, ad hunc modum constituite: atque etiam præterea tamen animadvertite, si Dionysii & Hipparini liberi conseruandæ Siciliae causâ presentibus calamitatibus finem velint imponere, ut sibi & generi

suo, & in præsens, & in posterum tempus honores
 pariant, eo modo (qui præscriptus est) inuitate, ¹⁶ le- 16 Describit ter-
 tio loco legula-
 tores & iudices.
 gatósque quos voluerint, reconciliandæ gratiæ arbi-
 tros decernite, siue ex vestris, siue ex alienis, siue ex
 vtrisque: & quotquot concesserint, atque hi vbi con-
 uenerint, leges primùm & rempub. fundanto, per
 quas liceat reges dominos esse, & sacrorum & eo-
 rum omnium, quorū potestas benemeritis de repub.
 permittenda sit. Belli verò pacisque præfecti legum
 custodes numero quinque & triginta cum populo
 & Senatu sunt: Iudices autem de rebus aliis a-
 lij, de morte quidem & exilio quinque illi & tri-
 ginta, prætereaque ex præsentibus superiore anno
 creatis magistratibus, singulares ex vnoquoque or-
 dine (qui optimi & iustissimi visi fuerint) iudices eli-
 guntur, qui sequenti anno omnes mortis & carceris
 & relegationis controuersias diiudicanto. Regem
 verò talium iudiciorum expertem decet esse, tãquam
 sacerdotem ab homicidiij & vinculorum & exilio-
 rum maculis purum & sanctum. ¹⁷ Hæc vobis equi- 17 Concludit
 hanc consilij sui
 rationem fuisse,
 & addit capita
 quedam, tertia
 & septima epi-
 stolis cõprehensa
 de Sicilia resti-
 tutione.
 dem viuus facienda consului, & nunc consulo: ac tū
 quidem debellatis hostibus (nisi hospitales furia ob-
 stitissent) vobiscum statuissem, sicut in animo habe-
 bam: deinde (si res ex sententia successissent) resti-
 tuissem Siciliam, barbaris eam tenentibus expulsis,
 quotquot pro communi libertate contra tyrannum
 arma non suscepissent, priorésque Græcarum regio-
 num colonos in antiquas & paternas sedes reduxif-
 sem. Eadem autem hæc communi mente statuenda

f. iij.

18 Addit ad ex-
tremū de facul-
tate efficientiū
causarum, &
ita concludit:

Quod in duobus
animis consen-
tientibus situm
est, facile est: At
tota hac delibe-
ratio in duobus
Hipparinis con-
sentiētibus sita
est: Facilis est
igitur.

19 Cōclusio deli-
berationis ad
hunc statū Rei-
publica ample-
ctendū, ubi &
Platonica pie-
tatis studium
considera.

vobis & agenda censeo, omnesque ad eam rem con-
uocandos & cohortandos esse: ac si quis repugnarit,
hunc communem patriæ hostem iudicate. ¹⁸ Neque
verò difficilis, aut impedita res est. Etenim quod in
duobus animis, quid optimum sit inquirentibus, si-
tum est, id facile & promptum videri debet: aut si
quis difficile existimet, is sanè vehementer errat: at
duo hi sunt animi in Hipparino Dionysu filio, &
Hipparino filio meo: quod enim his videbitur, idem
ipsum Syracusanis (quibus Respub. cura fuerit) vi-
sum iri confido. ¹⁹ Quare & deos omnes honorate
& orate, & homines eos, quibus secundum deos ista
decet attribui, nec tum amicos, tum inimicos be-
nignè & comiter omni ratione monere & hortari
desinite priusquam hæc nostra monita, tanquam di-
uina somnia vigilantibus occurrentia, cum palàm
ac luce, tum fæliciter & faustè compleatis.

A R G V M E N T V M.

HÆC epistola variis de rebus ad illum Archytam scribitur,
de quo epistola septima.

Plato Archytæ Tarentino

Epist. 9.

1 Adhortatur
Archytam, ut
Reipubl. causâ
molestias perse-
rat. Argumētū
est ex fine homi-
nis, sed præcedit
illustratio ex dis-
similibus, & se-
quitur ex ad-
iunctis.

bene agere.



Rchippus & Philonides ad nos vene-
runt, epistolamque nobis à te reddiderunt,
deque rebus tuis nos certiores fecerunt.
Facilè autem confecerunt negotia ciui-
tatis suæ: nec enim erant admodum difficilia. ¹ Quod
ad te attinet, significarunt molestum esse tibi, quod

per publicas occupationes vacuus & liber esse non possis. Iucundissimum verò esse in vita res proprias, ac suas agere, præsertim si quis eam vitam sequatur, quam tu tibi delegisti, propè nemini dubium esse existimo. Veruntamē illud etiam te cogitare velim, quòd nemo nostrum sibi solùm natus est, sed ortus nostri partem patria sibi vindicat, partem parentes, partem amici reliqui: permulta autem tribuuntur occasionibus, quibus vita solet occupari. At cùm te patria ad capeffendam Rempublicam adhortetur, minimè fortasse deceat eius voluntati repugnare: simul enim etiam id acciderit, vt improbis hominibus aditus aperiatur, qui nullo bono & honesto consilio moti ad Rempub. accedant. Sed de his satis. Ehecra- tis rationem quidem nunc habemus, & habebimus impostertum, non solùm propter te, & patrem ipsius Phrynionem, sed etiam propter ipsum adolescētem.

2 Cicero primo officiorum hæc sententiã cõuertit, & 2. de Finib⁹ indicat etiã hîc acceptã.

A R G V M E N T V M.

Laudat Aristodorum vt verum philosophum. Vera philosophia est bene viuere. Hoc autē facis: Verus itaque philosophus es. Assumptio præcedit. Propositio sequitur exornata dissimili, quòd ceteræ artes vitam non meliorem, sed elegantiore faciant.

Plato Aristodoro

bene agere.

VDIO te Dionis imprimis necessarium & familiarem & esse nunc, & iam olim fuisse, & mores tibi præ ceteris philosophiæ partibus sapientissimos institutos & excultos esse. Etenim constantiam, fidem,

f. iij.

Epist. 10.



integritatem, veram philosophiam esse iudico: ceteras autem & aliò spectantes scientias & artes elegantiam quãdam & venustatem si dixero, rectè me dicere arbitrabor. ¹ Quare vale, & in his moribus sicuti facis, permane.

¹ Complexio syllogismi.

A R G V M E N T V M.

Laodamas princeps nouam aliquam ciuitatē conditurus, legum gratia Platonē accersebat. Excusat itaque se Plato initio de perfectione, & consulit tamen, vt legibus magistratus aliquis moderator vitæ & morū coniungatur, secus solis legibus Rempub. stare non posse.

Plato Laodamanti

bene agere.

Epist. II.

Scripsimus etiam ad te. antea plurimi ad omnes res, quas ais, interesse, vt tu ipse Athenas accederes: quoniam autem negas te posse, secundum deinde est, si modo fieri possit, vt istuc veniam, aut ¹ Socrates, quem admodum mandasti. At verò Socrates ex graui substilli morbo laborat: si autem istuc accedam, nec ea perficiam, ad quæ tu me vocas, turpe sanè & inhonestum fuerit, quæ tamen ipsa fieri posse nõ valde spero. Quamobrem autè desperem, longa epistola fuerit opus ad explicandum, nec præterea propter ætatem corpore satis firmo sum, vt peregrinari possim, & perpeti quæ terræque, marique subeunda sunt, præsertim cum hoc tempore omnia itinera latrociniis & periculis sint infestæ. Attamen & tibi, & cuius vrbs conditori consulere possim, quod inquit He

¹ Hic Socrates non est Platonis magister, sed alius quidã philosophus.

siodus, videri malum esse, & cognitu difficile. Nam si quis existimat legibus quibuscunque positis, quanuis nullus magistratus creatus sit, qui in ciuitate vitã ac mores & seruorum, & ingenuorum ad temperantiam & fortitudinem instituat, Rempub. tamen rectè constitui posse, is vehementer hallucinatur & errat. Hoc autem, si quidem ciues eo magistratu digni iam reperientur, fieri sanè possit: sin autem nullus in ciuitate dignus eo loco sit, sed ad hanc disciplinam peregrinus aliquis & externus sit accersendus, nec qui doceat, nec qui doceantur, apud vos mea quidem sententia erunt. Quare quod reliquum est, ² deos orate. Etenim isto ferè modo, quæ ciuitates antea fuerunt, conditæ sunt, deinde frequentate sunt & excultæ pro occasione magnarum rerum & belli & pacis temporibus accidentium: si quis tamen in iis ipsis temporibus vir & honestus & probus authoritate summa præditus extiterit. Hoc itaque imprimis procurandum est: ac prouidenda tamen sunt ea, quæ dico, ne quid inconsideratè & temerè faciant, qui celeriter subitoque rem perfici censent oportere. Fælix esto.

² Pietas Platonis.

ARGUMENTVM.

HÆC epistola versa est à Marsilio, & habet aliquid philosophis ipsis non alienum, tametsi in exemplari Græco notatur ut illegitima.

Plato Archytæ Tarentino

bene agere.

Epist. 12.



*M*irificam voluptatem capi ex his cōmentariis, quos ad me misisti, sed infinitis partibus ampliorē ex eorū authore percepi: ac vir mihi dignus esse visus est priscis illis maioribus suis: dicuntur enim hominum innumerabilium, qui regnāte Laomedonte, Troia profecti sunt, hi clarissimi & nobilissimi fuisse, quemadmodum proditum sermone est. Commentaria autem nostra, de quibus scribis, rudia adhuc & imperfecta sunt, qualia tamen cunque sunt, ad te misi, ac de custodia conuenit inter nos, vt cohortatione nulla sit opus.

A R G V M E N T V M.

*H*ÆC epistola non est conuersa à Marsilio, & res quasdam habet Platonis grauitati parum congruentes, & in Græco exemplari vt illegitima notatur. Initiū est de Helicone Cyziceno philosopho, quem Dionysio variè describit.

Plato Dionysio Syracusarū

Tyranno bene agere.

Epist. 13.



*V*T epistolam à nobis esse percipias, principium tibi sit & symbolum, Locros adulescentes aliquando cū conuiuio accepisses, & longè à me discumberes, assurrexisti mihi & assedisti, & benignè atque humaniter affatus, verbum nescio quod festiuum iniecisti, vt mihi quidem videbatur, & proximè assidenti homini vrano

& eleganti: tum igitur ille, Magno certè adiuuēto
 ô Dionysi ad sapientiam comparandam Plato tibi
 est: tum verò tu, Atqui etiam ad alias res permul-
 tas, ais. Nam ex eo ipso tempore, quo accersendum
 curavi, magnam repentè vel hoc ipso nomine quod
 accerferem, vtilitatem sensi. Quamobrem id mihi re-
 tinendum tuendūque est, vt mutua hæc inter nos
 vtilitas assiduè augeatur, atque id ipsum nunc effi-
 ciens mitto ad te ex Pythagoreis, & ex diuisioni-
 bus aliquid, item virum, qui mihi tum visus est ido-
 neus, quo & tu, & Archytas (si modò Archytas ad
 te venit) vti possitis. Eius nomen est Helicon, patria
¹ Cyzicus, discipulus autè Eudoxi, & eius philosophi
 disciplina eleganter institutus, tum verò cum quodā
 Isocratis discipulo, & cum Polyxeno Brysonis quo-
 dam socio versatus, & quod insuper rarū est, in cō-
 gressu & sermone iucundus & affabilis, minimèque
 malitiosus: quin leuis potius & simplex esse videa-
 tur. Atque vt prouisum & præcautum sit, ea dico.
 quoniam non de improbo animali & peruerso, sed
 de homine sententiam profero, qui paucis admodum
 exceptis facillè corrigi & emendari possit. Verum-
 enimvero id etiam metuens & circumspectans, in ser-
 mone & colloquutione considerabam, & ciues ipsius
 interrogabam, nemo tamen de homine mali quic-
 quam respondebat. Tu verò etiam ipse prouideto &
 caueto. Diligentissimè itaque si quicquam otij na-
 ctus eris, ex eo discito, & aliis etiam de rebus per te
 philosophare, aut si hoc nōdum potes, illud teneto, vt

¹ Cyzicus, ciuē-
 tas est Bithyniæ
 in litore Pro-
 pontidis.

paulatim discens, melior fias & clarior: nec officiis,
 studiisque nostris adiuuari desinas. Quod autem scri-
 pseras, ut Apollinis signum tibi mitterem, feci, &
 Leptini vebendum dedi. Opus est iuuenis & excel-
 lentis artificis, cui nomen est Leochares: alterum ve-
 rò apud eundem opus est, quod quia mihi affabrè fa-
 ctum videbatur, emi, ut uxori tuæ donarem: quo-
 niã in mea valetudine & prospera & aduersa tan-
 tam curam, tantamque sollicitudinem pro communi
 vtriusque nostrum dignitate adhibuisset. Dabis igitur
 ei, nisi quid aliud tibi videatur. Pueris autem vi-
 ni dulcis duodecim, mellis etiam duas amphoras mit-
 to. Serius venimus, quàm caricæ reconderentur, ac
 myrtinae bacchæ reconditæ putruerunt: sed imposte-
 rum maiorem diligentiam adhibebimus. De stirpi-
 bus & plantis audies à Leptine, à quo ad has res
 coëmendas, & ciuitati tributum soluendum, pecu-
 niam sumpsi: eaque dixi, quæ mihi dicenda videban-
 tur, & quia sic vtrunque nostrum deceret, & quia
 dictu verum esset. Minæ propemodum sexdecim sunt,
 quod in Leucadiã nauem impeditimus. Hæc igitur sum-
 mam mutuatus sum, & ea usus sum, vnde vobis hæc
 mitto. ² De pecuniis igitur audi, ut se res habet, &
 tuis quæ sunt Athenis, & meis. ³ Equidem tuis facul-
 tatibus (sicut aliàs dixi) vtar, quemadmodum reli-
 quorum amicorum fortunis vti soleo: vtor autem quàm
 parcissimè possum, & quidem in his tantum, quæ ne-
 cessaria, aut iusta, aut honesta non solum mihi videan-
 tur, sed etiam illi, à quo sumo. Cuiusmodi nunc quid-

² Petit à Diony-
 sio dotes qua-
 tuor puellarum.

³ Hic syllogis-
 mus quidã est.

Pecuniis ami-
 corum vtendum,
 cum id & acci-
 pienti, & danti
 honestum est: id
 autem nunc tale
 est. Propterea

Plato Dionysii
 pecuniis vtetur.

Cõclusio & pro-
 positio prace-
 dunt, assumptio
 postrema est.

dam nobis accidit. Sunt mihi puella quatuor filie neptium mearum, quæ tum diem suum obierunt, quæ tametsi iuberes, coronatus tamen non sum: prima nubilis est, secunda annos octo nata est, tertia tribus annis paulò maior est, quarta nondum annicula est. His à me & meis amicis dotes parandæ sunt, & eas sanè quibus nubilibus superstes ero, nuptum collo cabo: quarum autem ad nuptias non peruenero, eas valere & fœlices esse cupio. Quòd si patres earum me locupletiores essent, de earum matrimonio laborandum mihi non putarem. At ego locupletior illis sum, & earum matres cum aliorum, tum etiam Dionis ope in matrimonium locavi: vna itaque Speusippo nubit sororis eius filia: huic autem non amplius quàm triginta minis opus est, modicæ siquidem nobis dotes sunt. Præterea verò si mea mater obierit, decem nec amplius minis opus est ad monumenti & sepulchri structuram. Atque his ferè in rebus necessarij quidem sumptus mei nunc sunt. ⁴ Si autem vel priuatim vel publicè propter meam ad te profectio- nem sumptus aliquis (vt aliquando monui) faciendus sit, mei fuerit officij contēdere atq; efficere, vt quàm minimum fiat: quod autem minuere non potero, tibi tolerandum erit. Quæ cum tibi exposuero, te subinde monendum arbitror, quas pecunias Athenis te cōueniat expendere. Nam primum si quid in chora- gium, aut aliquid eiusmodi tuo nomine me suppeditare oporteat, nullus, vt opinor, tibi hospes erit, qui suppeditet: tua tamen magni interest, si impensæ iam

⁴ Monet hic quiddam de publicis sumptibus, qui fiebat olim ludis publicis in Græcia.

facta tibi profint, nō facta autem sed prorogata, donec à te quispiam venerit, noceant: neque enim id molestum duntaxat est, sed etiam turpe tibi & inhonestum. Etenim cū cuperem maiora etiam (de quibus scripseras) ad te mittere, hæc per Andromedem Aeginetam misso ad eum Erasto tentavi, à quo iusseras sumere, quoniam tuus hospes esset, si quid esset opus: Ille verò quod æquum & humanum esset, nobis respondit, se, quod antea patri tuo expensum tulisset, vix recipere potuisse, & nunc pauca quidem se libenter cōmodaturum, multa nequaquam. Itaque à Leptine sumpsi, qui quidem iccirco meritò sanè laudandus est, quòd non solūm dedit, sed quòd tam prompte, tamque liberaliter dedit, quòdque cateris tuis in rebus & verbis & factis tantam in te benevolentiam demonstrat. Necesse enim est & hæc & iis contraria me tibi denuntiare, & quo quisque mihi erga te animo esse videatur, exponere. De pecuniis igitur & sumptibus liberè & ingenuè ad te (sicut æquum est) perscribam.⁵ Ac simul cū tuorum domesticorum vnumquemque probè expertus sim, non absque re de iis te monuerim. Qui enim perpetuò pollicentur se tibi annuntiuros quemcunque sumptum tibi faciendum existiment, ñ ne te fortè offendant, nolunt annuntiare. Quapropter eos assuefacito, & cogito non solūm hæc, sed alia omnia tibi declarare. Te siquidē decet, quantū poteris, omnia nosse de que iis iudicem esse, neque rei cuiusquam cognitionem refugere. Neque enim ad regnum conseruandum quicquam tibi

⁵ Monet Dionysium, ut de rebus suis studiose inquirat, quòd ad eius laudem plurimū pertineat.

potest vtilius esse. Etenim si liberaliter largiaris, & creditoribus fideliter reddideris, cum ad res alias, tum ad opes & facultates retinendum, tu profecto rem bonam & commodam dixeris, & certe dicturus es. Quare cauebis, ne te calumnientur apud homines hi, qui se tui studiosos esse profitentur. Id enim neque aptum, neque pulchrum ad tuam laudem argumentum videatur. De Dione deinde dicamus: cetera quidem nondum possum perscribere, priusquam literas tuas accepero: de quibus autem apud illum nolueras mentionem à me fieri, de iis neque mentionem feci, neque quicquam dixi,⁶ tentavi tamen grauiterne an leuiter, si fierent, ea laturus esset, ac mihi videbatur non mediocriter indignaturus, si fierent. Ceteris autem in rebus æquus erga te esse videbatur. Cratino Timothei fratri, meo autem amico thoracem militare pedestrem pulcherrimum dabimus, ac Ceбетis filiabus septenorum cubitorum tuniculas tres non sumptuosas, quales armoginæ sunt, sed Siculas lineas: probe autem tibi Ceбетis nomen notum esse arbitror. Est enim in Socraticis dialogis, & vnà cum Symia in dialogo de animo cum Socrate disputat, vir sanè nobis omnibus & beneuolus & amicus.⁷ De nota autem epistolarum, quas serio & non serio scribo, meminisse te opinor: attamen attentè considera & animaduerte. A plerisque enim impellor ad scribendum, quos aperte refellere non facile possum. Seria itaque epistola signum fuerit, Deus, non seria autem, Dei. Legati etiam me rogabant vt ad te scriberem, & iusta quidem ratione.

⁶ Hic locus apertius ostendit, quod secunda epistola fuerat obscurius indicatum de vxore Dionis.

⁷ Signa seriarum & non seriarum epistolarum, vbi Platonica pietatis symbolum est de vno vero deo & multis falsis.

Valde enim liberaliter & promptè ubique & te & me collaudant, atque imprimis Philager, qui tum ex manus quodam dolore laborabat: & Philades à magno rege veniens non minus item magnificè de te loquebatur. Quæ nisi ponderosam epistolam requirerent, perscripsissem: sed à Leptine potius requires, an Loricam, vel aliud quidpiã eorum de quibus scribo, mittas, si quidem ipse huic velis dare: sin autem nolis, Terillo dato. Est autem ex iis qui assiduè navigant, nobis amicus, cùmque ad alia, tum ad philosophiam percommodus, Tisonis quidem socer, qui iam tum canescebat, cùm renavigabamus. ⁸ Vale, & philosophare, aliòsque adolescentes ad philosophiam cohortare, & tuis in pile ludo collusoribus meo nomine salutem ascribe, præcipuè autem cum aliis, tum imprimis Aristocrito, si quid à me vel sermone vel epistola ad te perferatur, ut quàm celerrimè cognoscas: meminerisque ut perscripta cura habeas. Ac nunc Leptini, commodatam tibi pecuniam persolvere ne negligas, sed quàm celerrimè reddas, ut in eum ceteri respicientes, promptius & libentius nobis inseruiant. ⁹ Iatrocles cum Myronida à me manumissus navigat vnà cum his, qui à me mittuntur. Huic tanquam tui studioso stipendium statues, & si qua voles in re, utère: atque epistolam vel ipsammet, vel eius exemplū, si tamen seruatur, tute ipse considera.

FINIS.

⁸ Comendat studium philosophia, & cognitionem rerum propriarum.

⁹ Comendat Iatroclē, ut in aliquo militia loco sit apud Dionysium.

